




COMME
JE
FUS



Santoli

E. R. Waterhouse

VINCENTII MARIÆ SANTOLI
V. J. DOCTORIS ET ARCHIPRESBYTERI
ROCCÆ SANCTI FELICIS
DE MEPHITI ET VALLIBUS ANXANTI
LIBRI TRES.
CUM OBSERVATIONIBUS SUPER NONNULLIS URBIBUS HIRPINORUM, QUORUM LAPIDES ET ANTIQUITATUM RELLIQUIÆ ILLUSTRANTUR.



NEAPOLI MDCCLXXXIII.

EXCELLEMTISSIMO . DOMINO :

IOSEPHO . BECCATELLI . DE . BONONIA :

SAMBVCÆ . MARCHIONI . OPTIMO .

SCIENTIARVM . ET . REIPVBLICÆ . BONO . NATO

IN . SVPREMO . VTRIVSQVE . SICILIÆ . REGIS .

CONSILIO . A . SECRETIS .

SPLENDIDO . DIVI . IANVARII . EQVITI :

INTIMÆ . ADMISSIONIS . CVBICVLARIO . ec. ec. ec.

HAS . SVPER . MEPHITI . ET . VALLIBVS .

ANXANTI .

LVCVBRATIONES .

VINCENTIVS . Mª. SANTOLI :

ARCHIPRESBYTER . ROCCÆ . S. FELICIS .

OFFICII . ADMIRATIONIS .

ET . VENERATIONIS . ERGO .

D. D. D.

EXCELLENTISSIME DOMINE.



Ara illa, & certe ſingularis Comitas, qua præ reliquis omnibus Virtutibus, in ſummo Dignitatis faſtigio ſplendeſcis, MARCHIO EXCELLENTISSIME, dubitare non ſinit, quin libenter patiaris, ut hoc quoque Opuſculum meum, Clariſſimo tuo decoratum Nomine, in lucem prodeat, non ſecus alterum, ſuper Inſigni Sar-

Sardachate insculpto Lapide Regis Nostri, ex Farnesianis gazzis, Musei, quod duobus abhinc annis, faustissimis iisdem sub auspiciis publici juris feci. Ab eo igitur Tibi offerendo, vovendo, consecrando deterrere me non valuit, tenue admodum, rude, & inconcinnum ipsum esse; maxime quia non video, quid tam magnum, perfectumque esse possit, quod Tuo digne inscribi possit Nomini; a quo, si veritas in prætio est, vel elucubratissima, doctissimaque opera, quæ Tibi dicantur, maxinum mutuantur decus, & ornamentum. Quæ igitur Opusculo meo deest gloria, & lux, omnis nanciscetur insigni Tuo ex Numine, quo divina quadam benignitate & summos, & humiliores literarum, bonarumque artium Studiosos complecteris, eorumque qualescumque sint, labores, conatusque foves. Quamobrem nec dissertatio mea labem amplius reformidat, neque ipse Invidorum, atque Obtrectatorum aculeos timeo; sed securus, acceptique honoris jugiter memor, id unum enitar, ne DEUM O. M. precari desinam, ut langævos, incolumesque annos pro Scientiarum, Artiumque omnium, & Universæ Reip. bono Tibi impertiatur. Vale.

Addictissimus & Obsequentissimus Famulus
Vincentius Maria Santoli.

AMICIS LECTORIBUS.

PRomissa sunt complenda, Virique boni promissio est obligatio: Amicis jam promiseram, de Mephiti Anxanti dissertaturum; dicam igitur de Ea: Carmen certe novum non recitabo; quamplures enim, clarique nominis Scriptores de Loco isto disseruerunt: *Quid enim non videmus* (ait Cicero) *quam sint diversa Terrarum genera, ex quibus, & mortifera quædam pars est, ut, & Anxanti in Hirpinis, & in Asia Plutonia, quæ vidimus* (1): Et Poætarum Princeps;

Est Locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Anxanti Valles (2) . . . . ;

Plinius secundus -- *Terræ miracula dicamus: Spiritus Lœtales alibi, aut ipso Loci situ mortiferi: alibi volucribus tantum, ut Soracte, vicino Urbis tractu: alibi præter Hominem, cæteris animantibus: alibi Charoneas Scrobes Mortiferum Spiritum exalantes: item in Hirpinis Anxanti, ad Mephitis ædem, Locum, quem qui intravere moriuntur* (3); & Claudianus de Loco eodem cantabat;

Tunc, & pestiferi pacatum limen Averni
Innocuæ transistis aves, flatumque repressit
Anxantus; Tacuit foxo Torrente Vorago (4);

Et Vibius Sequester: *Ampsanctus Lucaniæ, cujus alitus volucres necat* (5); & Persius;

Turgidus hic Epulis, atque albo ventre levatur,
Gutture sulfureas lente exalante Mephitim (6);

Et

(1) *Cic. de Divinat. Lib.* 1.
(2) *Virg. Æneid. Lib.* 7. *vers.* 576.
(3) *Plin. Lib.* 2. *cap.* 93.
(4) *Claud. de Rapt. Proserp. Lib.* 2. *vers.* 348.
(5) *Vib. de Lac.*
(6) *Pers. Satyr.*

Et Silius Italicus;

Hinc vicina palus, fama est, Acherontis ad undas
Pandere iter, cæcas ſtagnante voragine fauces
Laxat, & horrendos aperit Telluris hyatus,
Interdumque novo perturbat lumine Manes (1).

Locum eundem meminerunt Seneca, Servius Grammaticus, Ludovicus Cerda, Donatus Virgilium exponentes, Cluerius, & nuper Leonardus de Capua, aliique, de quibus inferius, prout res expoſtulabit dicemus. Quidquid iſti reticuerunt ſubnectam, quid vero edixerint, apis ad inſtar colligam, æternumque in unum redigam volumen, ut quod ſparſim alii adnotaverint, uno codice complectantur: Collecta tamen, ſive nuper a nobis reperta, atque in Loco obſervata ita diſponam, ut rerum, ſive antiquarum, ſive naturalium inquiſitores, præter Topographiam, Loci quoque naturam præ oculis habeant; inanes de Loco eodem olim jactatas fabellas referam, ut de multitudinis ſimplicitate Amici rideant, & de Relligioſo cultu huic efficto Numini tributo, quod non injucundum ipſis fore ſum arbitratus: nonnulla circum adjacentium Locorum ad rem pertinentia attingam; quæ omnia, ut præmiſi, amicis ut placeam ſcripſi: qui legitis igitur Amici eſtote; ſi quid forte erraverim, corrigite, ac Scriptori Amico, gravioribus certe curis diſtento, grato animo condonate; nihil enim aliud,

Quam veniam pro laude peto: Laudatus abunde,
Non faſtiditus ſi tibi Lector ero (2).

LI-

(1) *Sil. Ital. Lib.* 2., *&* *Lib.* 12.
(2) *Ovid. L.* 1. *Triſt. Eleg.* 6.

LIBER I.

De Mefitis Anxanti fitu.

§. I. Amsancti, Ansancti, Anxanti, Ampsancti, sive etiam Anfracti Valles, prout diversimode inscribuntur (1), & de quibus sermonem instituimus, sitæ sunt in districtu Terræ Roccæ S. Felicis, quæ adnumeratur in mediterranea Provincia Principatus Ulterioris, juxta præsentem divisionem Regni Neapolitani; ipsaque olim fuit Italiæ medium, sive Umbilicus, ut Scriptores loquuntur (2). Valles [illegible] Hirpini tenuere (3); *& ipsi Samniticæ gentis*, [illegible] Strabo (4); & a Samnitibus nomine tenus distin[illegible] Jacent Valles inter Apuliam, ad orientem æstivum, & Campaniam, ad occidentem: altos ex Appenninis, Syrinates respiciunt Montes, ad sud ovest, a quibus M. P. XVIII. fere distant.

§. II. Duorum Nemorum latera Valles urgent utrinque: Nemoris scilicet Civitatis Frequenti, ad Septemtrionem, quod vulgo dicunt *Migliano*; & nemoris Roccæ S. Fel[illegible] ad meridiem, vulgo nuncupati *Le Macchie della Mef[illegible]* sicut & Loca, de quibus disserimus le *Valli* appellitantur: A Septemtrione ad Orientem, usque ad Meridiem, continui extenduntur Colles, qui Valles istas efformant, & intercludunt; ex quo perspicuum est, loca ista diserte Valles nuncupata, quia a collibus antedictis vallata (6).

A §. III.

(1) *In Cod. Vatic. Virg.: Cic. de divinat.: Claudian. in Menagiam.: Plin. L. 2. Cap. 93.*

(2) *Virgil. Æneid. Lib. 7. Verf. 560.*

(3) *Cic. de divinat. Lib. 1.: Plin. Lib. 3. Cap. 2.*

(4) *Strab. Lib. 5.*

(5) *Sigon. de Ant. Jure Ital. Lib. 1. Cap. 20.*

(6) *Vid. Ambrof. Calep. in Verb. Vallef.*

§. III. Duæ ad Valles ducunt Viæ, Appia scilicet, quam vulgo dicunt la *Strada Beneventana*; & Via Domitia, quæ vulgo appellatur la *Strada Napolitana*: distant autem Valles ab Urbe Neapoli M. P. L. circiter, & a Benevento M. P. XXV.: Quod intelligas, dum per vias istas iter instituitur.

§. IV. Hisce in Vallibus celebres Mephites Anxanti contemplantur; in ipsarum enim declivio ad Meridiem, modica extenditur planities, cui ad Septemtrionem quatuor imminent Colliculi, sive supercilia, in unum altiorem Colliculum desinentes, Orientem versus: ad Colliculorum istorum radices, Lacus exurgit perennes continens aquas, ebullientes continuo, etsi frigidæ vere sint: Lacum istum, *Mephitim* appellant vulgo; quo c... vocabulo ad Lacum indicandum non raro Scri... si sunt.

§. V. Colliculi isti, concretio sunt ex Terra Su..., cum Alumine, Vitriolo, Bitumine, non sine partibus ferreis immixtis, necnon & gypseis, ut infra di... : ex quibus coagmentationibus, variegatis appare... ribus: albicantes scilicet Colliculi Lacui superimpositi; Colliculi altioris latera, viridi nigra; cacumen vero ipsius, nigri coloris, ad instar carbonum fulig... quin imo terra ipsa nigra est, ac tactui ita ru... de recenti veluti si arsisset videatur.

§. VI. Visibiles evapurationes Colliculi isti emittunt continuo, prout inferius dicemus. Nec præteriri debent aquæ dulces in toto fere Vallium ambitu scatentes, quæ tot perennes fontes constituunt, ipsique ad septem usque dinumerantur: præter quos, tres aquarum sulphurearum Fonticuli ibi exurgunt: nec non & stagnantes inter palustres herbas, sive jungos, delitescunt aquæ aliæ, quæ per brevem terræ tractum leviter fluunt, ac cito veluti si deficerent, a terris adjacentibus absorbentur: Quæ quidem omnes Colliculis jam dictis supereminent, ideoque recte

recte judicatur, quod per declives subterraneos meatus, ad illorum radices confluunt, & partem Lacus, de quo loquimur, efformant.

§. VII. Ab Oriente Lacus, ad ipsius Meridiem, tortuosus excurrit Torrens; & de quo inferius: At aquæ Lacus limpidæ certe sunt: verum in Lacu ipso, tamquam lixiviæ, coloris plumbei observantur; alveus enim ejus ex creta saponacea est, coloris plumbei, iisdem aggregatibus concreta, ac colliculi, de quibus diximus, sulphure videlicet, alumine, gypso, bitumine, cum vitriolo, quorum sales, suapte natura, tempore æstivo expressi contemplantur in Lacus tunc sicco margine: cæterum aquæ a Lacu haustæ, & in vase detentæ, partes cretaceas cito in fundo deponentes, ipsæ limpidæ evadunt: at puncentem saporem aluminis, cum vitriolo, etsi ad ignem applicatæ, deponunt nunquam: Æstivo soli expositæ, salium aluminis, & vitrioli concretionem relinquunt, & partem crassam bituminis, non sine sulphure: creta enim in fundo vasis deposita, igni admota, postquam paulisper incaluerit, cæruleam sulphuris flammam emittit.

§. VIII. Duobus in alveis Lacus aquæ continentur, quod in siccitatibus æstivis contemplatur, ut in Figura I. videre est. Hanc Ego delineavi in Mense Maji Anni 1779., in illa septem mensium, & ultra siccitate: Tunc enim temporis latus Orientale Lacus, pene in totum exiccatum cernebatur; ac proinde interna alvei structura recte potuit definiri: & talis quippe erat, ut duo veluti vortices, prægrandis ab Occidente unus, minoris circumferentiæ, ad Orientem alter, duos alveos Lacus constituerent: quæ tamen forma immutata nunc est, ut inferius dicemus: At pluviis supervenientibus, in unum coëunt aquæ, & velut si in uno consisterent alveo conspiciuntur, unumque continuum vere Lacum efformant, prout in Tabula II. exibetur contemplandus.

§. IX. Colliculi Lacui supereminentes, ut diximus, effervescunt continuo, ac visibiles evaporationes emittunt, quod & in Lacus ambitu quoque evenit: ideoque ejus aquæ jugiter agitantur, ac veluti si violento igni essent admotæ, mirum in modum ebulliunt: undique per Lacum tot ambullæ, tanquam ex sapone expressæ, discurrunt: quin imo ex immodicis exufflationibus, excitatis ab aëre intercluso, & ad libertatem contendente, sive etiam a continua tot mineralium fermentatione, aut ab igne in vasto, ut infra dicemus, Mephitis cratere agente, aquæ despumatæ, cum fragore sensibili in altum verberantur, diversas sortientes figuras, velut scilicet annosi scopuli, temporis injuria, aut maris salsedine inæqualiter corrosi: Aquæ frigescunt quidem, at in vicino Territorio Oppidi Villæmaniæ, ubi per meatus subterraneos scatent; ut mox dicemus; sensibilem calorem emittunt ad gradum XXIX. Termometri de Reaumur.

§. X. In Lacus margine, septemtrionem versus, & ad Colliculorum radices, observatur Foramen, seu Rima inæqualis figuræ, ex qua immodicus flatus orientem versus exufflat, cui cum Lacus sit inclinatus, aquæ ex continua ebullitione agitatæ, in ipsam incidunt, at ab exufflatione illa in aërem rejiciuntur, sicque per vim anfractæ despumantur, ac veluti in vapores rediguntur: Rima vero isthæc, veluti si crassum bituminis, dum aduritur, fumum emitteret, non injucundo spectaculo, contemplatur.

§. XI. Rima, de qua loquimur, ex meatibus unus est, qui excipit Lacus aquas, quæ naturaliter per subterraneos flexus ductæ, alicubi deportantur, quod Cluerium minime animadvertisse dicendum est: Vir enim Clarissimus de Lacu nostro differens, hæc habet: *At id in Lacu maxime mirandum, quod cum aqua tanta vi in tantam altitudinem eructetur, nunquam tamen Lacus excrescat, sed aqua perpendiculariter in voraginem*

suam

suam recidat (1) ; Et licet Leonardus de Capua Cluerii verba relata perpendens, recte judicasset, quod aquæ istæ per subterraneos naturales meatus alicubi deponuntur ; attamen nec quales essent meatus recipientes, nec locum, ubi aquæ confluunt, designavit (2) : Nos igitur ne quid indiscussum de Loco remaneat ; etiam minima adnotabimus.

§. XII. Meatuum certe aquarum recipientium unus est Rima isthæc, non autem Scaturigo, prout perperam laudatus de Capua scripsit (3) : Ipsa enim, ut diximus, Lacus aquas, quas excipit, flatu violento ad septem, & ultra palmorum altitudinem, in minutissimas guttulas redactas eructatur ; sed ex ipsa aquæ nunquam scatent perennes, prout sedulo in loco observavimus, quodque experientia diuturna compertum est : in siccitatibus quidem æstivis, Lacus aquis decrescentibus, velut si quiesceret Rima isthæc contemplatur ; nam etsi continuo exufflet, aquarum tamen nec unam guttulam emittit. Cæterum quot vortices, sive ebullitiones in Lacu observantur, tot scaturigines, & aquarum earundem recipientes meatus dicendi sunt ; quod si in ipsis aquæ non despumentur in guttulas, prout in laudata Rima fieri diximus; id tribuendum est aquarum frequentiæ, & gravitati, qua exufflationes illæ comprimuntur : ideoque licet magna vi, usque ad quartum, & quintum palmum in aerem reijciantur, in guttulas tamen non abeunt ; at tot inæquales in ebulliendo præseferunt figuras ; quod in Lacu vere mirandum est.

§. XIII. Porro per subterraneos naturales meatus, Lacus excipit aquas a Collibus hinc inde Vallibus supereminentibus, & a fontibus, in ambitu Vallium, ut diximus, scatentibus, quas per sinuosos subterraneos flexus

(1) *Cluer. Ital. Antiq. Lib.* 4.
(2) *Leonard. de Capua in Tract. de Mef. Lection.* 1.
(3) *Idem ibid.*

xus alicubi deponit; Et hoc aperte evincitur ex eo, quod Lacus nunquam exiccatur, nec excrescit, prout necessario evenire deberet in siccitatibus diuturnis, & in pluviis hiemalibus, quæ his in locis assiduæ sunt, & prægrandes; ex quo quantas Lacus noster excipiat aquas, tum maxime intelligitur, cum colles ei circumimpositos, & totum Vallium ambitum contemplemus. Colles namque isti usque ad quartum milliarium, & ultra serpentes, Vallium ambitum, majorem in partem, intercludunt, omnesque, quas recipiunt aquas pluvias, in Lacum ducunt, ubi & fontes perennes, quos supra notavimus, scatent quoque; ex quo crescunt quidem aquæ in Lacu, at ex eo nunquam decrescunt, sive extrinsecus defluunt: quod luculentius, non multis abhinc retroactis annis, apparuit; cum quidam concives mei, prope occiduum Lacus alvei marginem, canalem effoderunt, quem habes figura II. N. 3., autumantes, sed perperam, posse illo ab ipsis ductu sic artefacto, Lacum exiccari, quod nec factum est, nec ullo pacto fieri poterat: surgunt enim ex Lacus fundo aquæ, at alveus suis voraginibus est inclinatus, & supereminet, ut notavimus. Sed ubi aquæ illæ ex Lacu confluant, dicemus modo.

§. XIV. Quatuor, ut diximus, supercilia, seu colliculi, quorum ultimus, qui ad orientem vergit, altior est, Lacui supereminent: una eademque ipsorum est basis, figuræ semicircularis, qua Lacus medietas continetur, ita ut ad modum amphitheatri prospectum cernentibus exibeant: Hos inter colliculos, obtortum canalem aqua pluvia efformavit; ex quo ipsa adveniens in Lacum confluit: ibi concavus loculus admiratur, Lacui supereminens, ad septem palmorum distantiam, ubi raro deficiunt aquæ, quæ & ipsæ ebulliunt: hunc pone Rimula ex terra nigerrima, seu bituminosa; quæ continuas evaporationes emittit, ut Tab. II. N. 4.

§. XV. Colliculi isti continua sunt in evapuratione,

ipsa-

ipſaque, ut diximus, ſenſibili, non ſecus, ac terræ aquis madidæ, ad ſolem evapurantes: at collis altior, ſive altius ſupercilium, quod a medietate ipſius ad verticem uſque diximus nigreſcere, præter denſiores evapurationes, per varias, quas oſtentat Rimulas, ſibilat, atque exufflat: nec non ſenſibilem emittit calorem, uſque ad gradum XXV. Termometri de Reaumur, tempore hiemali, ipſoque pluvio, & nive rigido; tempore veris, ad eundem gradum XXV.; tempore æſtivo, uſque ad gradum XXX.; & tempore autumnali, uſque ad gradum XXIX., prout ſtatis temporibus obſervavimus; at ad ejus radices, ſicut & in Lacus margine, Mercurius non aſcendit. Præterea ſupercilium iſtud non pauca, & in declivio, & in ſuis ſemiplanulis, exibet contemplanda foraminula, non ſecus, ac illa, quæ a formicis excavantur, quæ filo tenui & ipſa ſibilant: Nives ibi dum cadunt, cito liqueſcunt, nec in loco conſiſtunt, quod ſecus eſt in reliquo Vallium ambitu, excepto tamen Lacu, cujus aquæ nec nives retinent, nec glacie indureſcunt. Porro Terra, ex qua ſupercilium iſtud componitur, bitumine præſertim abundat, ideoque nigerrima eſt, ut diximus; & quoniam aſſiduis agitatur exufflationibus, atque ex jugi illo calore exiccatur, ita rudis tactui evadit, ut veluti ſi diu excocta eſſet fuligo contemplatur, quin imo ejus aſperitas in dies augetur ab acidis tot mineralium, & ferri ſignanter, qui non deeſt in loco, quique citius ab accidis vitriolicis roditur, atque reſolvitur; obſervante Imm. Memoriæ Viro Clariſſimo D. Johanne Maria de Turre (1).

§. XVI. Ad ſuperciliorum iſtorum partem ſiniſtram, incipiendo a Vertice ad radices, velut iſtmus, ut ita dicam, terræ naturalis extenditur, ubi cannes paluſtres; ſuap-

(1) *Job. Maria de Turr. Element. Phyſic. Tom. VIII. Tract. V. Sect. 1. Cap. IV. §. 57.*

ſuapte natura oriuntur ; cui occidentem verſus, adjacet rupis abundans ſulphure, & bitumine, quæ velut ſi eſſet ambuſta contemplatur : Ibi duæ inter ſe inverſæ, prægrandes obſervantur rimæ, quæ mirum in modum exufflant, & ſignanter dum aquæ in ipſas incidunt, ebulliunt, talique immurmurant fragore, ac ſi præceps torrentis aqua ipſas inter excurreret : Rupem hanc ex tali, quem dat, fragore, vulgo *Caccabo* appellant; ipſamque habes Figura II. N. 5. Huic loco pars Nemoris copulatur, quod *VICOLI* vulgo dicunt : ut in figura II. N. 6.

§. XVII. Ad colliculorum deſcriptorum radices, Lacus exurgit, quem Mephitim appellamus, cui adjacet modicæ extentionis planities, de qua inferius : Hunc circum Lacum, ab Oriente ad meridiem, tortuoſus excurrit Torrens, qui tempore æſtivo raras, in quibuſdam ſuis loculis, continens aquas, in reliquo exiccatur omnino. Alveus ejus abundat ſaxis, qui modo in una, modo in alia Torrentis parte conſiſtunt, pro ut aquarum ſupervenientium impetu hinc vel inde agitantur.

§. XVIII. Ad dexteram partem hujus Torrentis, & in ejus Margine immediate, alter elevatur colliculus, obliquus reſpiciens latus orientale Lacus : ſulphure, & bitumine, præ cæteris abundat, ac proinde illius Terra coloris nigerrimi apparet, quæ & ipſa jugiter evaporat : ad ejus radices, in fundo Torrentis, jacet Vorago obliqua interſecans alveum Torrentis, longa palm. XII., lata palm. VII. cum dimidio, & profunda palm. IX, quæ ſic diſpoſita, alvei Torrentis & pars ipſa eſt : In ejus fundo, tribus præſertim in loculis quamplurima admirantur ſimul concreta foramina, quæ ſibilos continuos edunt, & aquæ in iis ſtrepent, velut dum infunduntur in oleum ferventem ad ignem : ex quo loci accolæ Voraginem iſtam vulgo appellant. *Le Freſſole* : Hic aquæ nunquam in totum exiccantur; at tempore æſtivo, cum in partem deficiunt, lente per Torrentem fluentes, ni-

gro

gro bituminis velo obteguntur, peſtiferoſque emittunt fetores, animantibus infeſtos, ad necem uſque; ſicque immutatæ, per non leve alvei Torrentis tractum, partim ducuntur, & partim ſtagnantes, velo pallidorubro cooperiuntur: Uno verbo dicam: Locorum iſtorum facies, velut Myſia, aut Melonia; de qua Strabo; *Cinerulenta eſt, Montana, Petroſa, & Nigra, tamquam ex aduſtione quadam* (1).

§. XIX. Torrentis hujus alveus, a voragine jam dicta incipiendo, uſque ad centum paſſus, & ultra, juges, [illegible]veſque exalat Mephites, ſive ſuffocantes evaporationes, & ſignanter in loco parum diſſito a Voragine iſta, ubi fluens ſub rupe imminenti, tortum verticem afformat: ibi volatiles, aut quatrupedes ſi conſidant, cito moriuntur: nec hominibus parcit, ut mox dicemus: ex quo Locus iſte vulgo appellatur *Vado Mortale*: & de quo Poæta cecinit

. . . . Medioque fragoſus
Dat ſonitum ſaxis, & torto Vortice Torrens:
Hic Specus orrendum, & ſævi ſpiracula Ditis
Monſtrantur, ruptoque ingens Acheronte Vorago
Peſtiferas aperit Fauces . . . . (2)

Et idem ipſe Locus eſt a Plinio deſignatus: *Ad Mephitis Ædem; Locum, quem qui intravere moriuntur* (3); quæ verba Cluerius perpendens, ridet Plinium: *Ridiculum hoc ſane*, ait; *quis enim reperiatur, niſi mente tota captus homo, qui aquas intrare velit, quæ aterrimo colore, odoreque teterrimo in medio Lacus . . . ebulliunt* (4). Cluerium vero perperam riſiſſe Plinium, ait Leonardus de Capua; aſſerens, vere potuiſſe aliquem in *Lacum* introire,

 ibi

(1) *Strab. Lib.* 13.
(2) *Virgil. Æneid. Lib.* 7. *Verſ.* 570.
(3) *Plin. Lib.* 2. *Cap.* 93.
(4) *Cluer. Ital. Antiq. Lib.* 4.

ibi vel condemnatum, aut casu, sive vi appulsum (1): At Viri Clarissimi ita scripserunt, uterque legentes in Textu Pliniano *Lacum*; sed Plinius ibi scripsit *Locum*, prout recte legunt Joannes Camers, & Gelenius (2); nempe Verticosum, & Letalem Locum istum designans, ut notavimus: alioquin vere esset Plinius ridendus, & mente deberet carere, qui ultro vellet Lacum Mephiticum penetrare, cum ad nullos humanos usus pateat.

§. XX. In Locis istis igitur diutius immorari, nec hominibus tutum est, & tunc temporis præcipue, dum venti minime spirant: Crassi enim, ac visibiles un. ut diximus, assurgunt vapores, Mephiti Vesuvianæ hau. dissimiles, qui paulatim animalis imminuunt vires; crurium juncturas musculares offendunt; sensibili amarore oculos feriunt, respirationem impediunt, anhelitus promovent, ac veluti celeri ex itinere defaticatos, anxantes faciunt; vertigines inducunt, & suffocatos, si diu absque auxilio in loco manserint, occidunt. Eosdem effectus operatur Crypta illa, vulgo dicta Canis, sive Mephitis prope Puteulos, juxta Lacum Anianum, quæ crassiores, & ad labellas dispositos emittit vapores; qui licet infestiores nostris deberent esse, utpote in concavo antro exhalantes; attamen isti vere sunt noxiores, & lætales, etsi sub Jove frigido, & aperto ducantur: Sat enim est ex Crypta illa extractum canem evapurationibus illius affectum, cœlo meliori linire, ut statim resipiscat, & bene se habeat; quod in Locis istis secus est; oppressus enim si cito non sublevetur, sero adjutus, etsi reviviscere videatur, non multos post dies, sive etiam horas, vere moritur, quod experientia duce, compertum est, ut mox dicemus.

§. XXI. Quod si ventus spiret aliquis; tunc loca ista tute explorari utique possunt: Ego enim per dies, & men-

(1) *Leonard. de Cap. Tract. de Mefit. Lect.* 1.
(2) *Camers, & Gelen. super Plin. Lib.* 2. *Cap.* 93.

menſes integros ibi non ſemel ſum immoratus, ſeduloque & minimas Locorum partes *contemplavi*, nec mihi unquam aliquid accidit triſte; exceptis quorundam dierum horis, dum ibi accedens, tempore ſat tranquillo, & quieto, cruribus tamquam ſi deficerem videbar: tunc confeſtim ab ulterioribus obſervationibus abſtinens, in loca ſublimiora aufugiebam: Cæterum, Reip. Literariæ benemerentiſſimus D. Dominicus Cirillo, non multis abhinc annis, Lacum mephiticum vidit; meque duce Placidus Imperiale, S. Angeli Princeps Excellentiſſimus; Abbas Fortis, Philoſophorum ornamentum; Eques Clarke, Anglicanus eruditiſſimus, & Lacum eundem inviſerunt. Quin imo, relictis viris aliis Clariſſimis; die quarta menſis Septembris, proximi elapſi Anni 1782., mecum etiam D. Marianna Pacca, Cariſii, Roccæq. Marchioniſſa, atque inter Beneventi Optimatum Matronas, venuſtate, & ſapientia Excellentiſſima, nec ſatis robuſta, ſed gracilis potius, ac nimis delicata, abſque ullo nocumento, Mephitim vidimus, ac partes illius ſingillatim perluſtravimus.

§. XXII. Quadrupedibus ſignanter Loca iſta ſunt infeſtiora, utpote qui carpentes deambulando, os terræ appropiant, citoque halitus evapurantes hauriunt, qui reſpirationi ob eorum jugem craſſitudinem omnino ſunt inepti: Enecat quoque volatiles, ut diximus, & in ſiccitatibus præcipue diuturnis, dum ibi ad aquas convolant, & tempore hiemali, dum nives cadunt, quæ ibi ſemper deficiunt: ſi enim trium, plus, minuſve ſpatio minutarum in loco conſidant, & ſignanter in Loco illo Torrentis Vorticoſo, quem diximus vulgo appellari *Vado mortale*, procul dubio moriuntur: Et quod in Canibus non ſemel experti ſumus; dum in Loca iſta incidunt, tamquam in ſole caniculari anhelant; ſtarnutant; ſalivam ſpumoſam evoment; contorquentur; ejulatus emittunt; ac demum lingua demiſſa, in terram cadunt, ac veluti laqueo ſuffocati deficiunt: quod ſi diutius in lo-

 co,

co, ubi ceciderunt, relinquantur, ſpatio ſcilicet decem minutarum, vere ſuffocati intereunt: Carnes ipſorum albeſcunt, corpus tumet, & velut utris inflatur, piloſque faciliter, tamquam abſorpto veneno, deponit: Quod vero inter volandum extincti ibi volucres cadant, ut ait Seneca (1); in locis iſtis non ſubſiſtit: halitus mephitici volucres necant certe, quod & Vibius Sequeſter animadvertit (2); ſed neceſſe eſt, ut in Loco conſidant, ad hoc ut deficiant, nec moriuntur ſtatim, ut diximus; veluti ſuffocati apparent extincti, quod ſi meliori cælo leniantur, reſipiſcunt, prout repetitis experimentis, comprobavimus.

§. XXIII. Caponem applicui uni ex illis Rimis, ſpirantibus in Colliculo altiori, qui Lacui ad orientem ſupereminet: ad fugam ipſe contendebat: at detentus, ſpatio unius minutæ cum dimidio, flebiles garritus mittens, ac ſe contorquens, aperta bucca, rimam verſus defecit: Tunc per me cito aëri aperto expoſitus, ad ſemi minutæ ſpatium revixit: Alterum Caponem in medietate Colliculi ejuſdem, ubi & aliæ ſunt rimæ ſpirantes, detinui, qui ſpatio minutæ unius, & ſemis, iiſdem editis garritu, & motibus, vere ſuffocatus interiit, fauceſque ejus tumeſcentes factæ ſunt, nec cælo meliori expoſitus revixit: Alterum Caponem prope Lacus marginem admovi, qui unius minutæ intervallo interiit: Altius hic a terra retentus, vivebat: at reliqui, quorum unum voragini applicui, quam diximus vulgo appellari. *Le Freſſole*, & alterum tortuoſo Torrentis tractui, vulgo dicto *Vado Mortale*, confeſtim perierunt.

§. XXIV. Non injucundum ſpectaculum nuper fuit vulpecula, prope Lacum, a quodam villico reperta, quam ipſe extinctam crediderat: Homo iſte, nomine Nicolaus Muſcillo, alias *Frecchione*, aſſiduus per Loca iſta diſcurrit,

(1) *Seneca Natural. Quæſt. Lib. 6. Cap. 28.*
(2) *Vib. ſequeſt. de Lac.*

rit, animalia ibi quærens interempta, vel post alluviones, inter maceries illas, antiquitatis reliquias, quarum non paucas, ejus opera adeptus sum Ego, & quarum de nonnullis aliqua inferius dicemus: Credidit itaque Vir bonus mortuam vulpeculam, quam invenerat: ipsam suo pallio involutam, non longe a Lacu, sed in loco eminenti reliquit, ut sic expeditior reliquum Locorum ambitum, ad prædas inquirendas posset perlustrare: At aliquantulum ad opus immoratus, dum revertitur, dolens redivivam vidit vulpeculam aufugere, secumque retrotrahentem pallium, a quo non dum erat in totum extricata, quod postea inter rudera reliquit: & sic homo ille, licet præda viduus, pallio tamen potitus, & ipse risit, & alii ibi circumstantes.

§. XXV. Plerosque viros in locis istis periisse, in Libris Archipresbyteralibus hujus Terræ memoriæ commendatum inveni: quorum hic mentionem facere non abs re censui: Sic in Anno 1623. duo Equites juxta Lacum Mephiticum cum suis equis fuerunt reperti extinti: In Anno 1705. die 11. Mensis Septembris, Joseph quidam Albentius, Terræ Laviani, de Lucania, ibi periit: In Anno 1730. eundem fatum expertus fuit Blasius Forgione, concivis meus; & in Anno 1737. Antonius de Gianni, quem pene extinctum e Torrente extulere; non multos post dies, & ipse interiit: Ambo hi cum essent Pastores, oves inter pascendum, in Torrentem lapsas, ad humeros appositas, semivivas extrahebant, ex quo diu in loco immorati, & ipsi suffocati ciciderunt; primus, cui non fuit adjutor, in loco vere periit: alter sero e Torrente extractus, licet respirationem recuperaverit, undecim tamen post dies, & ipse interiit.

§. XXVI. At quod dolendum: dum hæc scribebam; die 27. Mensis Aprilis, Anni 1781., Tres adolescentes in vorticosam illam Torrentis partem inciderunt, quam vulgo diximus nuncupari *Vado Mortale*; Donatus scilicet de

Leo,

Leo, Civitatis Frequenti; Josephus Cozza, & Johannes de Apolito, concives mei: diu in Loco absque auxilio semivivi jacuere: Johannes, quem primum e Torrente extulerunt, duodecim supravixit dies; tandem cum mira respirationis difficultate, collo sinistrorsum obtorto, buccaque aperta, convulsus expiravit: Joseph extractus sero; revixit quidem; at post horas decem, & ipse pari modo convulsus interiit: Frequentinus vero in Loco, ubi inciderat, miserrime periit. Istius cadaver sedulo contemplatus, facto expertus sum, vera Scriptores de extinctis in locis hujusmodi nunciasse: Carnes enim illius albæ videbantur; spuma sanguine intermixta exibat ex ejus ore; lingua demissa; faucesque tumescentes; quod jampridem Seneca adnotaverat (1).

§. XXVII. Animalium igitur in Locis istis demortuorum, quasi per vim elisæ fauces tument; spumas sanguineas evoment, carnes mirum in modum albescunt, & hoc ex eo, quia illorum sanguis in dextra cordis auricula, signanter congeritur coagulatus; quod in volatilibus continuo experti sumus, & cum Abbate Fortis, Viro Clarissimo, in Loco observavimus, accipitre intersecto, ac passere, ibi extinctis per nos repertis, sub die prima Septembris Anno 1780.; cum ad Lacum Meficticum invisendum Ipsum hospitem nostrum, & commensalem læti lubentesque habuimus. Jam ex dictis apparet, ex impedita respiratione, aer prius inspiratus in statum fixum redactus, observante Hales in Hæmastatica, efficit ut corpus intumescat, & ex violenta dilatatione, machinæ organa infranguntur, ideoque cum spuma, sanguis immixtus evomitur: Idem evenit animantibus in Machina Pneumatica, ob aëris deficientiam: at in Locis istis iidem operantur effectus, ob aërem, non obductum, sed condensatum, & abundantem multiplici particularum mineralium genere, quarum animal, inspirando, multipli-
ces

(1) *Senec. Natural. Quæst. L. VI. Cap. 28.*

ces partes absorbet, & signanter acidum vitriolicum, aluminosum, sulphureumque, cum bitumine, quæ suapte natura, non respirationem tantum, sed & insensibilem perspirationem impediunt, obducendo in animantis corpore interius, exteriusque repagulum, sive crassum velum, quod augetur, dum diu animal in Loco immoratur: ideoque tamquam ex celere itinere defatigatum anhelat, ut diximus; convellitur; dextra ejus cordis auricula obstringitur, nec ab ipsa excipitur sanguis reductus a ramis venæ cavæ, propterea ibi coagulatus congeritur, nec diffunditur in ventriculum dextrum cordis, & ab ipso in arteriam pulmonarem, & in pulmones; nec in auriculam, & ventriculum cordis sinistrum; sicque perturbata circulatione, pulmones constricti, arteriam pulmonarem, & ejus ramos comprimunt, ex quo, vehementiore motu urgente, Arteria Aorta, deferendo susceptum sanguinem in ramos venæ cavæ, ab his augetur affluxus, & congestio sanguinis in auriculam cordis dextram, ideoque vasa sanguinea infranguntur; tunc ex aëre condensato, & etiam ex pressione inter pulmones restrictos, & claviculas, venæ jugulares, faucesque quasi per vim elisæ intumescunt, ac proinde ita oppressi morbo letali, ac prorsus insanabili afficiuntur (1).

§. XXVII. Nec præteriri debet, quod Metallis evenit in Locis istis: Argentum; etsi pannis involutum, sive in crumena; inter transeundum, ibi nigrescit, quod & in reliquis metallis observatur quoque, excepto auro puro, cujus nulla fit immutatio, & ex quo recte deducitur, sales marinos in loco desiderari, notissima ad aurum resolvendum menstrua (2); dixique puro, nam si alio immixtum sit metallo, rami scilicet, hæc cito pallide rubet: Hoc idem in Sulphataria Puteulorum accidit, sed necesse ibi est, ut argentum rimis illic spirantibus admovea-

(1) *Vid. Turr. in Anatom.* §. 414.
(2) *Joh. Maria de Turre Sect. 9. Oper. Chymic. Cap.* 1. §. 1060.

veatur, ad hoc ut pallescat : quod hic secus est; acida enim mineralia, quæ abundant, utpote quæ in Locis vallosis operantur, crassa & in majori copia diffunduntur, ita ut confestim metalla iis obtecta nigrescant, sive etiam lapides, qui corrosi in arenam abeunt, ut inferius dicemus.

§. XXVIII. Duobus antidotis, mephitica Labe oppressis, Locorum Accolæ occurrunt; si quem enim ibi delapsum, atque affectum invenerint; cito in aërem apertum reductum, ipsum arbori suspendunt pedibus, capite deorsum revoluto; sicq. affectus spumas evomet, & si mortuus non fuerit, recuperata respiratione resipiscit, quod non solum in brutis continuo observavimus: sed, & in hominibus etiam. Non multis abhinc retroactis annis, Puella quædam semiviva in Loco reperta fuit, ipsam arbori suspenderunt, capite, ut dixi deorsum revolutam; tunc post procuratam per evomitionem, respirationem, oleum olivarum frequenter bibendum, me edicente ei dederunt; qua ex potione, partibus crassis bituminis, inspirando jam absorptis, cum sulphure, & acidis aliis mineralibus, quæ in Loco abundant, solutis, bene se habuit Puella, & ad præsens jam mulier bene valet: ipsamque mecum adlocutus fuit Eques Clarke Anglicanus sub die 28. mensis Novembris, hujus anni, dum hospes meus nobilissimus ad mephiticum lacum invisendum accessimus. Methodo eadem, ut subvenirent nuper in loco oppressis, quos §. 26. retuli, Medicis suadebam: At isti sanguinis emissione, & aceto propinato illis subveniri posse crediderunt, sed perperam; Joseph enim Cozza, ut dixi, decem post horas interiit; Tunc Johanni adhuc superstiti apposuerunt stimulos ad pectus, & brachia; ut evomitionem provocarent, radicem Ipecuacanam ei dederunt, adhibitis postmodum purgantibus: at undecimum post diem difficultas respirationis ingravescere in eo visa est: tunc Ego accitus, ut SS. Viaticum cum Extrema Unctione infirmo mini-

ni-

niſtrarem: His rite peractis; anxantem adoleſcentem miſertus, convenientibus Medicis propoſui, ut balneis, vel ſaltem pedum ablutionibus infirmo præſto eſſent, nec non & oleum olivarum, quatenus ipſis videretur, ebibendum ei darent: Pediluviis, approbantibus Medicis, adhibitis, infirmus convaleſcere videbatur, quippe qui, cum antea ſedendo tantum ſuper lectulo, ac curvatus in faciem, reſpirationem ducebat pauperrimam, ibi poſtea cubatus, ſomno vacare, veluti ſanus, videbatur: At Medici olei ebibitionem improbantes continuo, ut febri, qua infirmus tenebatur, quoque occurrerent, corticem peruvianam ipſi propinarunt, qua hauſta, veluti abſorpto veneno, paucas poſt horas, convulſus, ut dixi, expiravit: nonnullis contendentibus, radicem ipecuacanam mortis iſtius concauſſam fuiſſe, utpote quæ violentam promovens in patiente evomitionem, vaſa ſanguinea, mephitica labe dilatata, motu violento percreſcente, diſrupit: quod cæteroquin Medici peritiores dijudicent.

§. XXIX. Sed priuſquam ad alia gradum faciamus, hic adnotandum cenſui quod nuper in Lacu vidimus factum: Jam ſupra §. 9. diximus, duobus in alveis Lacum contineri, qui aquis percreſcentibus æque adimplentur, unumque continuum efformant Lacum. Alveus orientalis, qui exiccatus cernebatur aquis, quibus abundabat alveus occidentalis, ſub die 19 Menſis Septembris, Anni 1780., velut ſi tumeſceret, aliquantulum relevari viſus eſt, terramque illam cretaceam in aerem eructare cum fragore non modico, veluti aquæ in concava ciſterna detentæ, dum ſaxo immiſſo, ab alto percutiuntur: Ex hac continua cretacea eructatione, alveus iſte in voraginem verſus eſt: Qua jugi in actione alveum vidimus, uſque ad diem vigeſimam, & ſecundam Menſis Octobris, Anni ejuſdem, antequam ſupervenirent illæ prægrandes, & parum intermiſſæ pluviæ per quatraginta dies, & ultra, quæ brutis non minus, ſed & hominibus in ipſa etiam Civi-

tate Neapoli, ad necem usque infestæ fuerunt; ex quibus Lacus repletus, velut in uno alveo si consisteret, in suam pristinam formam redactus est. Istius novæ voraginis forma circularis erat, lata hinc inde palmis viginti, profunda vero palmis sexdecim, prout exacta dimentione, antequam plueret, experti fuimus.

§. XXX. Autumabam, aliquam in loco igneam tunc explosionem imminere, ob aquas, ut dixi, imminutas in Alveo isto orientali, cui immediate supereminet altior ille Colliculus, sive supercilium, sulphure, & bitumine, præ cæteris abundans, non sine partibus ferreis, quæ juxta vulgatam observationem de Lemeri, inter se concreta, & subtus terra confossa, post fermentationem, suapte natura accenduntur: Porro prœminentiam illam sedulo contemplabam *fumare calentem*, ut Ciceronis verbis utar (1), quod evidentissimum inditium est ignis in ejus visceribus, sive etiam radicibus ardentis, qui si non eructetur, id aquis tribuendum est, a quibus partim extinguitur, & partim earum gravitate comprimitur; Cæterum aliquando in supercilio isto, flammæ ignitæ discurrere visæ sunt, non vero in Lacu, ut Leonardus de Capua scripsit (2) a Pratillo sequutus (3).

§. XXXI. Porro non secus ac Anaximander Milesius, & Pherecides a turbolentis putei aquis, teste Plinio (4), imminentem terræ motum conjectarunt, pertimescebam ego, grave ne rediret locorum nostrorum, sive adjacentium funestum, ex motibus terræ imminentibus, excidium, prout evenit sub die 29. Mensis Novembris Anno 1732. Tunc enim temporis Lacus Mephiticus fere in totum aquis exiccatus fuit visus: prout seniores concives mei testantur: Ingentes, inter colliculos illos, & in Lacus visceribus

(1) *Cic. de Nat. Deor. L. 2. Cap. 9.*
(2) *Leonard. de Cap. Lect. 1. de Mefit.*
(3) *Pratill. Via App. Lib.* 4. *Cap.* 4.
(4) *Plin. Hist. Natur. L. 2 Cap.* 81.

bus audiebantur clancores, velut buccinarum ſtrepentium, cum timpanis, fragoreſque immodici, velut ex tonitribus, ita ſenſibiles, ut ad viginti milliaria, & ultra in girum audirentur: Terræ de hinc motus ſubſequutus, quot Urbes, & Oppida ſolo æquaverit, quot animantes oppreſſerit, recens adhuc, & infauſta memoria eſt: Civitates enim quamplurimæ, oppidaque inter Tirrenum, & Adriaticum mare vel labefactata, vel prorſus deleta, hominum autem capita decemmillia, & amplius interempta (1): Sola Patria mea a communi excidio tutata, numine certe, & auſpiciis Mariæ ſemper Virginis, quæ ſub Titulo de Conſtantinopoli, peculiari relligione ibi veneratur, ſicut & a Peſte olim defenſam, quæ undique per Regnum craſſabatur, in Anno 1625., Templum in Ejus honorem a fundamentis erectum luculentiſſime teſtatur, majoreſque noſtri, & Templi dedicationem, & cauſſam nobiliſſimam, in publicis codicibus tranſcriptam memoriæ conſignarunt; quæ ne unquam depereat, in ipſius aditu Templi Laudabile Titulum inſcribendum curavimus: OB. CIVES. A. PESTE. SERVATOS.

§. XXXII. Sed ut in viam redeamus: poſt Terræ jam dictum motum, antequam aquæ Lacus in priſtinum alveum reſtituerentur; ex alveo eodem tales, & tam vehementes flatus exorti, ſpumas lapideas, cretaceas, lapideſque prægrandes, pondo librarum triginta, plus minus, in aërem eructarunt, & in girum, ad diſtantiam centum & ultra paſſuum, continuo immurmurantes, atque inuſitatos emittentes fragores: Et tunc temporis in Lacus ſuperciliis, ignitæ flammæ non raro diſcurrere viſæ fuerunt, ut ſupra monuimus.

§. XXXIII. Cæterum nec mea me fefellit opinatio: nam ſub die duodecima Menſis Januarii, ejuſdem Anni 1781., motu violento in Locis iſtis, & per Loca finitima, Terra concuſſa eſt: licet Deo Optimo Maximo, &

 Ma-

(1) *Vid. Magnat. de Terræmot.*

Matre ejus Magna Maria faventibus, nullibi detrimentum, nec minimum, cuique attulerit: Et anno insequenti 1782. per loca diversa Terra tremuit, & Urbs Beneventum signanter sub die 11. Januarii per duas vices concussa, imminentem civibus suis subversionem portendebat: At ob Ipsam servatam, Eminentissimus Cardinalis Banditi Archiepiscopus, omni vere laude dignissimus, Omnipotenti Deo supplicationes indixit: Ipseque, & frequens Beneventanus Populus peregerunt. Et quod dolendum, dum hæc in lucem prodibant, sub die 5. Februarii hujus Anni, Messana, Regium, & Numero tercentum inter Civitates, & Oppida in Calabria Ultra, Terræ motibus concussa, cum ingenti populo deleta.

§. XXXIV. Aquis igitur pluviis superventis, Lacus unus & continuus in suis duobus, ut diximus, alveis, effectus est: At notandum, quod in alveo orientali, sive in nova, quam modo diximus voragine, aquæ abundant, & vi majori ebulliunt, quam in cæteris locis ebullientibus in Lacu, quod recens quidem, & novum omnino est: idque ideo evenire censerem, vel quia anteactis explosionibus, meatus recipientes creta extricati, liberam actionem sortiti sunt; vel quia vorago isthæc, cum propior accedat supercilio, quod diximus igne abundare, motu vehementiore aquæ in ipsa detentæ, urgente igne, agitantur.

§. XXXV. Altitudo aquarum Lacum componentium, exceptis iis quæ continentur in nova, quam modo diximus voragine, quinque palmorum est: at in margine ipsius quinque, aut sex digitorum, non autem palmorum quinquaginta, & ultra, ut scripsit Leonardus de Capua (1), & Pratillus (2); nisi suspicari velimus, immutatam Lacus formam, ex non rara cretarum concestione, quas ibi aquæ pluviæ, & ex eodem Lacus fundo scatentes aliæ ducunt.

§. XXXVI. In parva illa planitie, quam diximus La-

cui

(1) *Leonard. de Cap. Lect. 1. de Mef.*

(2) *Pratill. Via App. L. 4. C. 4.*

cui adjacere, velut ibi enatæ tot lapidum maceries contemplantur disjectæ: antiquorum ædificiorum ruinæ certe sunt; sepulcrorum videlicet, prout ego sum arbitratus: loca ista Majores nostri portas inferi crediderunt; ideoque ut sancta, & relligiosa coluere: quod ex Claudiano, ex Plinio, ex Silio Italico, supra relatis evinci fas est: Ædes Sacras memoratur Plinius: *ad Mephitis ædes*; *Averni limen*, Lacum nostrum dicit Claudianus; & Silius Italicus *locus ait a quo iter panditur Acherontis ad undas* (1), ideoque Virgilius ibi cecinit *conditam Erymnim*, ex Furiis Infernalibus unam, *quæ cœlum terramq. levabat* (2); ut igitur Majores nostri propitios sibi redderent Deos Infernales, & sacra ipsis faciebant, & in Locis istis contumulari consueverunt, ut inferius dicemus, quod cæteroquin conjici quoque potest ex nummis, qui non raro inter maceries illas inveniuntur, quatrantes scilicet, quosque Greci dicebant Δάνακης (3), solvendi Inferorum portitori Charonti, ibi cum mortuis contumulati: Nummi isti ænei sunt, & prorsus deleti: duo tantummodo in meo Museulo asservantur; ex ratitis unus, cum solito Jani bicipitis tipo, ac navis parte dimidia, qui Romanus certe est; alter cum capite galeato, & cristato in parte antica, in altera, gallo, cum inscriptione *Caleno*; nummi quidem obvii; id tantummodo in ipsis mirandum, quod in terram redacti vere observantur; acida enim aluminosa, sulphurea, & vitrioli, quæ in loco abundant, ut diximus, notissima metallorum menstrua, sic eos imminuerunt; sicut & reliqui lapides, sive calcarii, sive etiam vitrescentes, ex iisdem acidis in scorias ruvidas, sive arenosas redacti conspiciuntur.

§. XXXVII. In Superciliis Lacui supereminentibus, nonnulli circumcirciter exurgunt lapides & ipsi collisi pariter,

(1) *Vide supra pag.* 1. & 2.
(2) *Virg. Æneid. L.* 7. *Vers.* 576.
(3) *Nieupoort. Sect.* 6. *Cap.* §. 1.

riter, ac pene in ruvidas ſcorias redacti, ſuper quibus tot aggregata adhærent conchiliarum, & maritimorum inſectorum ſpolia: ex quo haud perperam dijudicatur, aquas maris per loca iſta fluxiſſe aliquando, quæ poſtea in Oceanum redeuntes, ſpolia illa inſectorum ibi disjecta reliquerunt: Quod certe in diluvio univerſali factum neceſſario dicendum eſt:

Omne cum Proteus pecus egit altos viſere montes,
Piſcium & ſumma genus hæſit ulmo,
Nota quæ ſedes fuerat columbis,
Et ſuperjecto pavidæ natarunt æquore damæ (1).

Et licet ſciam, aliquas *factas ex æquore terras*, ut Ovidius cantabat; quod cæteris relictis, ſinus Neapolitanus, Bajas, Puteoli aperte teſtantur, ubi loca quædam, quæ prius aquis Maris abluebantur, modo ſive Urbis, ſive agrorum partem conſtituunt; attamen cum aggregata iſta conchiliarum, ubique terram inveniantur, eodem Ovidio edicente, &

Procul a ponto conghæ jacuere marinæ,
Et vetus inventa eſt in montibus angora ſummis (2),

idcirco dicendum eſt, aquas Maris aliquando ubique terrarum excurriſſe: Nullus quippe eſt in toto Terrarum orbe ſitus, ubi in effodiendo, aggregata conghiliarum non inveniuntur; & ut cæteros prætermittam relatos a Viris Clariſſimis, in reliquis Mundi partibus (3); quod ad Loca nobis contermina ſpectat, congeries iſthæc conghiliarum abundant in vicino Teritorio Caſtri, & S. Nicolai La Baronia, & Oſtrearum ſignanter, nec non & in Trivici Villa, ubi Horatius *lacrimoſo non ſine fumo*, in ſuo ab Urbe ad Brunduſium itinere, fuit receptus (4), diſtantium a Lacu noſtro M. P., ad Nort eſt, decem plus minus: In Territo-

(1) *Horat. Odar. Lib.* 1. *Od.* 2.
(2) *Ovid. Metamorph. Lib.* 15. *Verſ.* 164.
(3) *Vid. Turr. Obſervat. Circa Terr. Tract.* 2. *Sect. unic. Cap.* 6.
(4) *Horat. Sermon. Lib.* 1. *Satyr.* 5. *Verſ.* 80.

ritorio S. Angeli Lombardorum, diſtantis a Lacu, adſud ſud eſt, M. P. quatuor: in Territorio Beneventano: in Territorio Aſculano Appulo continuo excavantur quoque, nec diſſitæ inter ſe tantum, ſed conglomeratæ ſimul, & quædam in lapides immutatæ: nec iſtiuſmodi aggregata deſiderantur in Territorio Melphitano; & in tota Lucania.

§. XXXVIII. Cum igitur in omnibus Mundi partibus, & ſignanter ubi ſunt Vulcani, ſive extincti, ſive adhuc ignivomi, ab aquis diluvii, ibi deducta, conghiliarum maritimarum ſpolia inveniantur; hic meam inſerere opinationem duxi, quo pacto aquæ diluvianæ a terræ ſuperficie receſſerint. Comuniter exiſtimatur, aquas diluvii a Ventis agitatas in Oceanum reſtitutas; Quibus adderem, & vi potiſſimum ignis a Vulcanis ubique Terrarum ſpirantibus: Nec aliud ſibi volunt Geneſis verba illa: *Et adduxit, Deus, ſpiritum ſuper Terram* (1), nempe ignem ſpirantem ex viſceribus Valcanorum, cujus vi aquarum ſuperjectarum alias depreſſit, rejecit in Oceanum alias, & alias efferveſcendo per celeriorem evapurationem diſſipavit: Scio ego non paucos edixiſſe, per verba relata Geneſis pro *Spiritu* intelligi voluiſſe *Ventum Spirantem* (2), quibus non aſſentior: Solus enim ventus ſuapte natura aquas agitare, conturbare, agere quidem poteſt, non autem imminuere: *jam enim hoc pacto etiam rapaciſſimi ſinus eſſent exauſti*; ut bene Theodoretus animadvertit (3); & cum venti continuo ſpirent, omnis Terra neceſſario deberet aliquando, abſorptis aquis omnibus, arida apparere, ut Celſus, & Linnæus, aliique, adjectis aliis rationibus contendunt (4): quoſque, & Linnæum ſignanter, refellit Brovvallius (5), & immortalis memoriæ Vir Clar.

(1) *Geneſ. Cap. VIII.*
(2) *Vide Alcuinum ſuper Geneſ. Cap.* 8.
(3) *Theodoret. In Geneſ. Cap. eod.*
(4) *Celſ. & Linn. in Orat. de incremento Telluriſ.*
(5) *Brovvall. in Explorat. deminution. Aquæ.*

Clar. P. Joh. de Turre (1): Et si mea hæc me non fallit opinatio, etiam de igne, in Genesi Cap. 1. locutum suspicarem verbis illis: *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*: Quidquid Theodoretus, D. Augustinus, Liranus, aliique Expositores expresserint (2). Existimarem igitur, initio Mundi Deum Optipum Maximum Vulcanos creasse, ut Terram, & aquas foverent igne: aquæ autem cum undique essent super Terram disjectæ, minori gravitate Vulcanos premebant, ac proinde in majori, & tali erant actione, ut continuo & aquas, & Terram agitantes, evapurationes promovebant, sive juges illas tenebras, quæ erant super faciem abissi (3): Et hoc ex eodem Sacro Textu conjicere auderem: habet enim in Hæbreo מרחפת: *Merakephet*, latine redditum a Divo Hieronimo, *fovebat more volucris calore animanti*: & ex Lib. Iob. Cap. 38., ibi,: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens: cum ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem*; Quæ verba a Niceta sic habentur, τὸ εμάιμασεν αντὶ οἶςρα ορμητικῶς, sive *furiis quibusdam impellebatur*; & ex Chrisostomo ὅτε εμαιετο h. e., *quando obstetricabatur*: Quibus sic positis dicam: Si aquæ velut ova calore fovebantur; a quo nam calor iste, nisi ab igne excitatus? Si nubes ab iisdem aquis exurgentes vestimentum erant aquarum; Caligo, qua obvolvebantur, ab igne certe impellebatur, tamquam a Furiis, ut Niceta loquitur; nec Terra aquis extricari melius, ac celerius poterat, quam ab ignis urentis vi, prout post Universale diluvium factum opinando diximus.

§. XXXIX. Accedit ad hæc, quod per verbum *Spiritus*, apud Græcos, & apud Latinos Scriptores non raro

(1) *Joh. M. Turr. Tract. 4. Sect. 2. Cap. 1. N. 56. & seqq.*
(2) *Super Genesi Loco Citato.*
(3) *Genes. Cap. 1.*

ro Ignis designatur : Sic apud Homerum (1)

Πνοιῇ τειρομενοι πολυμήτιος Ἡφαιστοιο,

Spiritu laborantes sapientis Vulcani.

Spiritum dixit Virgilius ignem alimentarem corporibus hærentem,

Spiritus intus alit . . . .

Igneus est illis vigor . . . . . (2)

quod juxta Platonis sistema dixit, qui ignem Mundi Machinæ inhærentem *Temperantiam ab Auctore Mundi factam* nuncupavit, ducta similitudine a Temperantia ferri candentis, quam vulgo dicimus *Tempra*, nempe cum candentem aquæ frigidæ immittimus, ut ignis in ipso intercludatur : Sic pari modo ignem cum Terra immixtum ab Auctore Mundi *Temperantiam* dictum crederem a Platone (3) ; quod cæteroquin disertis verbis Ovidius testatum reliquit : Postquam enim descripserat Materiæ confusionem in prima Mundi creatione

. . . . Quia corpore in uno

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis, & alibi

. . . . Mixta cum frigore flamma; tum demum ignis alimentaris cum corporibus unionem describens *Temperiem* dixit :

Quippe ubi Temperiem sumpsere humorque caloqua (4).

Porro ubique Terrarum, si diligenter Montes, sive etiam Campi examinentur, antiquarum exustionum vestigia occurrunt undique, vel & in ipso Oceano, ut jam notavimus : Satis quippe esset super re ista consulere Excellentissimum, & eruditissimum Equitem Johannem Strance super Montibus columnaribus scribentem ad Cl. Virum Equitemque Pringle, vel omni laude Virum eximum Equitem Hamilton de Vulcanis differentem ; sive mei de-

D vin-

(1) *Homer. Iliad.* φ *V.* 355.

(2) *Virg. Æneid. Lib. VI. V.* 725.

(3) *Plat. In Timeo Cap.* 14.

(4) *Ovid. Metam. Lib.* 1. *Cap.* 13.

vinctissimum D. Dominicum Tata, qui de Monte Vulture eruditissimam edidit dissertationem, sive etiam Abbatem Cirum Minervina, Virum præclarissimum, ut super re ista nihil ultra esset exitandum; at quod omnium sive rationum, sive conjectationum firmissimum est argumentum, ex eo evincitur, si sedulo Orbis Terrarum Vulcanos adhuc notos dinumeremus: Sic prætermissis Vulcanis diu extinctis, quos refert vir immortalis memoriæ de Turre, quique singuli dinumerantur (1); notissimi sunt in Europa ardentes Vulcani, nempe Mons Etna in Sicilia; Vesuvius in Campania; Hæcla in Islandia; Mons prope Apolloniam in Dalmatia; & Insulæ Vulcaniæ, ad Boream Siciliæ. In Africa, Spelunca dicta Beni-guazeval, in Regno Fezzano; Insula ignis, prope Caput Viride: & Picus de Teneriffa, seu Teida, in Insulis Canariis.

In Asia, Mons Albours, post Montem Taurum: Vulcanus Insulæ Ternate: Mons in una ex Insulis Mauritiis: Mons in Insula Soria: In Regione Japoniæ, & Insulis adjacentibus, & in Insulis Philippinis plures sunt ignivomi Montes: Mons non longe ab Urbe Panacura, in Insula Java: Mons Gounapi, in Insula Baude: Mons Balalvanus, in Insula Sumatra: Mons in nova Guinea, seu Terra Papous, ad ortum Molucarum, versus Terras australes; & Montes, ad ripam Orientalem Fluminis Tenisege, in Tingensibus, & prope Flumen Pesida, ultra Tingentes, qui ut referunt Moscovitæ, ignivomi sunt.

In America, in Montibus Peruanis, & Mexici plures ignivomi dinumerantur montes: Prope Urbem Proquipa, in Regno Pervano, Mons Sulphureus ardet: Mons in Valle Malahallo: Mons prope Carrapa: Montes Cotopaxi, & Pichinea: Mons in Provincia Nicavagua: Mons Popochampeche, & Mons Popocatepec, in Regione Mexica-

(1) *Turr. de Mont. Igniv. Sect. XI. §. 27.*

xicana: Montes Sulpharei in Insulis Guadalupa, Tercera, aliisque Insulis Acoris: & innumeri fere alii montes ignivomi, qui in jugo Montium Peruvianorum inveniuntur, dicti le Cordillere; Quos R. P. de Turre dinumeravit (1).

Cæterum si sedulo consideremus Phætontis fabellam male currum solis regentis, Montes correptos flammis, flumina, & Maria exaruisse. Tellurem querentem cum Jove ex tot adustionibus, de Orbis exitio; quod perbelle Ovidius prosequitur (2): Si Homerum describentem Vulcanum evomentem innumeros ignes (3); Si Saturni fabulam

. . . . . . *Tenebrosa in tartara missi* (4),

sive in Italiam, tot Vulcanis refertam; dicendum est, vere Historiam naturalem sub istis fabellis involutam contineri de igne, qui ubique terrarum, etiam in Mari, in Fontibus & Fluviis aliquando arsit, nempe ad aquas super terram universam disjectas arcendas, compescendas, deprimendasque. Et hic pro coronide addam, ab iisdem Vulcanis in fine Mundi ignem erupturum, ad Terræ Machinam consumendam; quidquid nonnulli Astronomi quorundam planetarum incursione eventurum judicaverint: Mundi quippe Machinam, Deo Optimo Maximo sic edicente, quæ principium habuit, finem & in combustione habituram necesse est:

Esse quoque in fatis reminiscitur affore tempus
Quo mare, quo Tellus, correptaque Regio Cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret (5).

§. XXXIX. Et a diverticulo ut in viam redeamus: inter maceries illas Lacui adjacentes, Ego inveni lapidem

 co-

(1) *Tur. de Mont. Igniv. Sect. X. §. 23. ad 72.*
(2) *Ovid. Metam. Lib. 2.*
(3) *Hom. Iliad.*
(4) *Ovid. Met. Lib. 2. C. VI.*
(5) *Ovid. Metam. Lib. 2. Cap. 9.*

coloris fuſci, graniti ad inſtar, cui conchilia inhæret, vere in lapidem verſa, qui in meo Muſeulo aſſervatur: Lapis quippe iſte congeſtio cretacea, & arenoſa eſt, in lapidem converſa: Cæterum in Lacus planitie adjacente, & circa ejus latera, exiles cilintricæ laminæ gypſeæ reperiuntur, ipſæque criſtallizatæ, & pellucidæ inter ſcajolas certe numerandæ, quas Mattioli *Speculum Aſini*, Plinius, *Lapides Speculares*, comunique vocabulo *Selenites* appellamus, quæ quidem per Loca adjacentia ad Lacus inter Septentrionem, & occidentem abundant, licet forma diverſæ, & figura, veluti reliqui communes lapides, inæquales: pellucidæ ſunt, & facile in exiliſſimas lamellas dividuntur, non ſecus ac talcus; varios colores ſuſcipiunt, prout in priſmate: cum aqua forti non ferveſcunt, nec aqua naturali ſolvuntur, aut oleum ipſas abſorbet: in igne confeſtim calcinantur, & mirum in modum dealbeſcunt.

§. XL. Præter ſelenites, gypſum naturale, ſive *Marmor Fugax* Linnei abundat ad Lacus inter maridiem, & Septemtrionem, ex quo Loca, ubi effoditur, vulgo dicitur *La Geſſara*: varios colores dant gypſa, quæ in locis iſtis excavantur, album nempe, griſeum, & viridem: alia aliis ſunt duriora; effoditurque ibi gypſum micis Scajolæ intermixtum, quod reliquis mollius eſt: cum acidis aliquam fermentationem gypſum hoc producit, veluti ſi alabaſtri calx eſſet: at in calcem ad ignem radactum, cætera antecellit albedine, & cum acidis efferveſcit.

§. XLI. Prope Lacum, & in planitie ei adjacente, excavatur quoque Terra cretacea coloris flavi, quæ ad ignem applicata ſit rubra; hanc *Macra* appellant vulgo: Hæc creta abundat etiam in vicino Nemore Frequentino, quod diximus *Migliano* appellitari: Macra, quæ circa Lacum excavatur, partes nitri in ſe certe habet, igni enim admota, poſtquam incaluerit, velut pulvis pirius,

cre-

crepitat , & in fruſtas abit: ipſa Paſtores utuntur , ad proprias greges , certo ſigno obſignandas: At Ego licet ex rudi Figulo, urceolum efformandum curavi, & quod autumabam vere expertus ſum, cretam iſtam Figulis potius eſſe utiliorem; urceolus enim præfatus, etſi rudis, ob rubrum tamen quem exibet colorem, elegans, & eximius eſt: Quod ſi Pictoribus poſſit inſervire, vel ſi partes nativi cinabari creta iſthæc habeat, id Medicis, ſive Chimicis , quando his in locis , providior Natura eos excitabit, experiundum relinquimus.

§. XLII. Jam ſupra §. XV. notavimus , ex fontibus ſupereminentibus aquas in Lacum convenire, quorum ad tres ex mineralibus aquis jugiter ſcatent ; & primus quidem ad Lacus occiduum latus ebullit , & proprie in Territorio Reverendi D. Xaverii Santoli , Æconomi mei amantiſſimi , licet aquæ ejus frigeſcant ; parum habent bituminis, ſed inſecta enecant: in cruſtas abeunt , ſpumis cretaceis Veſuvianis ſimillimas , prout in loco admirantur: alter , & tertius ad Orientem Lacus excurrunt, & a quo diſtant paſſus centum : Horum aquæ ſulphureæ ſunt , & ſaporem dant non diſſimilem ab aquis ſulphureis ſcatentibus ſub Monte *Echia* in Civitate, ideoque non ſecus ac illas ſalubres exiſtimarem . In Locis circum circiter Lacum adjacentibus quamplurimæ concretiones ſulphureæ, non ſine bitumine contemplantur : ex quo loca iſta ideo *Amſancta* dicta, *quaſi undique Sancta*, Servius exiſtimavit (1). Et re quidem vera, præter loca immediate Lacui contermina , ad latus occiduum Lacus, in medio viæ, quæ ducit ad vicinam Civitatem Jeſualdi, in diſtantia unius milliarii, cum dimidio, eadem ſulphuris, & bituminis ſtrata admirantur , exiccata quidem tempore æſtivo, at aquæ pluviæ ſupervenientes ibi ebulliunt, licet violentas evapurationes non emittant , nec graves Mephites exalent: Simillima ſulphuris, & bituminis

nis

(1) *Serv. in Virgil. Æneid. L. 7.*

nis aggregata conſpiciuntur verſus vicinum Oppidum Villæ Maniæ, ibique aquæ bulliunt etiam; diſtantque a Lacu per duo milliaria ad ſud eſt: Et de quibus inferius.

§. XLIII. Inſtituti demum ratio expoſtulat, ut Lacus formam, latitudinem; nec non & ſuperciliorum ei impoſitorum altitudinem, quin imo, & exactas de loco ad locum diſtantias dinumeremus: Super quibus paucis me expediam. Lacus forma, ut diximus figuræ ovalis eſt; ejus circumferentia eſt palmorum Neapolitanorum centum quinquaginta: latitudo ab oriente, ad occidentem, palmorum ſex, & ſexaginta; latitudo a meridie, in ſeptemtrionem, palmorum quatraginta trium: Altitudo aquarum eſt palmorum quinque in Lacus medio; in ejus margine, quinque, aut ſex digitorum inverſorum; excepta nova voragine, ubi aquæ abundant uſque ad altitudinem palmorum ſexdecim; ejuſque circumferentia, eſt palmorum viginti; ut ſupra notavimus §. 29. Planities adjacens Lacui, longa eſt palmis 265.; lata in ſua medietate inter torrentem, & canalem, quibus includitur, palmis centum octuaginta quatuor; in ejus margine, & ad Torrentis ripam, palmis biſcentum: Altius ſupercilium incipiendo ab ejus vertice ad Lacus marginem, diſtat a Lacu eodem palmis bis centum triginta duobus; reliqui colliculi, palmis ſexaginta tribus: excepta proëminentia illa occidentali, quam diximus, vulgo appellitari *Caccabo*; quæ diſtat a Lacu palmis centum ſexaginta octo; & Locus alter, quem diximus appellari *Freſſole*, qui diſtat a Lacu palmis biſcentum ſexaginta quatuor; ſicut & Locus Vorticoſus, quem vulgo dicunt *Vado Mortale*, diſtat a Lacu palmis biſcentum octuaginta ſeptem, prout exacta adhibita dimentione, non ſemel, nec ſine periculo, ipſe & laudatus Æconomus, cum D. Johanne Baptiſta Santoli, Fratre meo germano, experti ſumus.

LI-

LIBER II.

§. I.

EX modo enarratis, & ex iis, quæ ſequuntur conjicere auderem, Lacus noſtri craterem, maximam habere extenſionem, vel cum Veſuvio, in Campania communicare, ſive etiam cum Etna in Sicilia: Scio ab eruditis dubitatum, an Veſuvius communicet cum Sulphataria Puteolorum, quin imo & ab aliis omnino denegatum, etiam cum aquis termalibus. Ænariæ, ſive Iſclæ Inſulæ (1): At hæc mea opinatio cum eo uſque non procedat, ut Veſuvium communicare dicam cum America, ejuſque Urbe Lima, quod Baglivi aſſerere non dubitavit (2); ſuper re iſta Amici Lectores dijudicent, prout ipſis melius videbitur.

§. II. Jam diximus, nonnullos fontes circa Lacum aquis mineralibus ſcatere: concretiones ſulphureas per loca adjacentia commemoravimus, ipſaſque mephites exalantes, atque inſecta enecantes, quæ quidem loca dubio procul cum Lacu communicant.

§. III. Præterea ad Septemtrionem Lacus, in Nemore Frequentino, vulgo dicto *Migliano*, quod a Lacu diſtat uno milliario plus, minuſve; concretiones ſulphureæ abundant, ubi plurimis in locis aquæ ebulliunt, etſi frigeſcant, ipſarumque exalationes inſectis ad necem uſque ſunt infeſtæ; exiles talci partes ibi conſpiciuntur, nec ferrum deſideratur.

§. IV. Et ulterius progrediendo, ſeptemtrionem verſus, ad radices Montium *Trivici*, qui montes ex calculis litoralibus omnes ſunt, quos inter ſpolia conghiliarum, & oſtrearum inveniuntur, nec non & per ſtrata, terra nigra, ex ſulphure, & bitumine concreta, contemplatur ambu-

(1) *Joh. Maria de Turr. in Hiſt. Veſuv. Cap. 6. §. 148.*
(2) *Bagliv. Hiſt. Terræm.*

ambusta; & proprie in Terra Castri, quam vulgo dicunt *Castello della Baronia*; quæ sub ditione D. Nicolai Mariæ Caracciolo, Regis nostri admissionis intimæ Cubicularii, Sancti Viti Ducis Excellentissimi &c., Viri Nobilitate, Ingenio, omnique virtute insignis, & sub cura Illustrissimi D. Josephi Pasqualis Rogani; Præsulis ejus Optimi, moribus floret, & scientiis; in Terra inquam ista, in loco, ubi dicitur *Il Vallone*, aqua sulphurea scatet quoque: & in Territorio laudatæ Trivici, Scajolæ excavantur; quæ abundant in contermina ei Terra S. Agatæ; quæ distant a Lacu nostro M. P. VIII. Castrum scilicet; Trivicus X.; & S. Agata XV.

§. V. Ad occidentem vero: in Civitate, nunc dicta Mirabella, antiquitus vero *Aqua putrida*, ab aquis nempe sulphureis; non secus ac antiquissima Dicearchia, quæ postmodum fuit dicta Puteoli, ex *aggregatis sulphureis, ibi mire existentibus*, ut Strabo loquitur (1), & hunc sequutus Capacius (2); in Mirabella, inquam, & in loco, ubi dicitur *Li Pozzi* inter ruinas Civitatis Eculani, ex antiquo puteo, adhuc existenti, aqua hausta, a me degustata, sulphurea exurgit: de antiqua Eculano urbe, aliqua inferius adnotabimus; hic tantum dicam, ipsam occidentem versus a Lacu nostro distare M. P. X. plus, minusve; cujus ruinæ hinc, & inde in Via Appula Regia, quam *Viam Novam* dicimus, contemplantur.

§. VI. In Terra, vulgo dicta *Sancta Paulina*, quæ duobus milliariis distat a Civitate Montefusco (quæ nunc Provinciæ Principatus ulterioris caput est), & secus viam, quæ ducit ad Montemfuscum, in rupis radicibus, aggregata terræ nigerrima inspexi, quæ igni admota gravem sulphuris, & bituminis odorem emittebant: aggregata ista quandam habent similitudinem cum Terra bituminosa Siciliana, mihi a Viro Clarissimo D. Dominico Tata,

(1) *Strab. Lib. V.*
(2) *Capac. L. 2. Cap. 24.*

Tata, humaniſſime, ut ejus moris eſt, mutuata: diſtat autem Terra iſthæc a Lacu noſtro M. P. XVI. ad ſud eſt.

§. VII. Nec deſunt in toto *Territorio Beneventano* loci ſulphure abundantes; id evincitur ex aſſiduitate motuum Terræ, quibus Civitas Beneventum non ſemel ruinas immodicas fuit experta; & ſignanter ſub die quinta Junii A. D. 1688; tunc temporis in Valle Beneventana fluvius ardentis bituminis excurrere viſus fuit, ſive ignita lava, teſte Magnati (1); quam a radicibus Veſuvii per meatus ſubterraneos ibi eructaſſe crederem, ſive ab alia particulari accenſione ſequuta in contermina Campania, cujus campi, ex jugi, in qua erant conflagratione, *Flegraei* olim appellabantur (2).

§. VIII. Ad orientem Lacus, in Territorio Patriæ meæ, in loco demaniali Univerſitatis ejuſdem, ubi dicitur *La Palombara*, & in latere orientali demanialis defenſæ; fons aquæ ſalſæ excurrit, cujus aquæ ſalem comunem, cum partibus aluminoſis decantatæ deponunt, diſtatque a Lacu, uno milliario, vel circa: & inter orientem, & Meridiem ad Eſt ſud Eſt Montes Terræ *Guardiæ Lombardorum* extenduntur, ad quorum radices ſcatent aquæ Torrentis, vulgo dicti *Fredene*, ut in Fig. V. qui poſt varios flexus immittitur in flumen, vulgo dicto *Calore*, quod intelligas, de *Calore* Hirpinorum, ne confundatur cum *Calore* Lucaniæ; & ex præfata ſcaturigine, in Anno 1732., poſt terræmotum, per plures dies aquas rubras continuo emiſſas concives mei teſtantur, ipſaſque ſulfure redolentes. Et ulterius, in Territorio *Melfitano*, ad radices *Montechii*; ſic locus appellitatur; aquæ minerales abundant; diſtat autem Civitas prædicta a Lacu noſtro M. P. XV., & ultra: In Terra *Atellæ*, *Rapollæ*, ubique ſcatent aquæ minerales; Terra vulgo dicta *Barile*

E ſita

(1) *Vinc. Magnat. Notizia Iſtor. de Tremuoti fol. 363.*

(2) *Strabo L. V. fol. mihi 443. Plin. L. 18. Cap. 12. Polib. Lib. 3. Hiſtor. Diodor. Sicul. Lib. 4. Hiſtor.*

sita est, ubi *Mons Vultur*, qui ignivomus olim fuit, observante Viro Clarissimo D. Dominico Tata, qui eruditam dissertationem de Monte isto tipis mandavit in Anno 1778., quique concretiones sulphureas, talcus, antiquas lavas ignitas, selenites in loco abundantes, aquasque minerales in girum scatentes accurate dinumeravit (1).

§. IX. Inter Meridiem, & Occidentem Lacus ad sud ovest, in vicina Terra *Villæmaniæ* scatent aquæ minerales, quibus ad Balnea utuntur: distat Terra isthæc a Lacu nostro duobus milliariis: Aquæ istæ dubio procul a Lacu nostro originem ducunt; aliisque per subterraneos flexus, mineralibus, & dulcibus collectis aquis, quas in locis supereminentibus inesse diximus, multiplicantur: scatent autem ad radices colliculi abundantis stalagmitibus, productis ab aquis istis, ibi decurrentibus: Jam supra notavimus, aquas Lacus in crustas tofaceas, suapte natura abire: quod experientia diuturna comprobatur: Per loca enim, ubi aquæ istæ fluunt, tot diversæ concretionum istarum figuræ contemplandæ occurrunt, quot sunt aquarum fluentium motus diversi, sive undulationes. Vegetantia si diu aqua ista abluantur, lapidefiunt, quod per ambitum locorum istorum videre est: Et penes me asservatur lapis unus coagmentatus ex vepribus, rubis, paleisque, quem a majore consimili mole scindendum curavi; autumabam super vegetantibus illis aquas minerales crustam tantummodo induxisse, & in poros vegetabiles abiisse; at ipsos vere lapidefactos inveni.

Aquæ igitur Lacus, per meatus recipientes, ut diximus, aliæque in girum scatentes aquæ aliæ, in loca ista deportantur, unumque perennem constituunt fontem, interclusum in domo quadam rurali, ubi annis non multis ab hinc retroactis ad Balnea conveniebant: a domo ista per subterraneum nuper excavatum ductum, in unam grandiorem fluunt casam, prope Torrentem constructam, ipsam-

(1) *V. D. Dominic. Tata de Monte Vulture fol.* 28. *& seqq.*

ipſamque ſine tecto, ad hoc ut aquæ, ſub Jove aperto detentæ, ſalubriores reddantur: Caſa iſthæc per parietem intermedium appoſite diviſa, duos efformat Balneos, pro viris unum, pro mulieribus alterum: Ipſamque habes Fig. 1. N. V.: ibi æſtivo tempore, tamquam ad frequentem emporium, undique conveniunt valetudinarii, nec aquis ablui contenti, ipſas nonnulli ebibunt etiam: quæ ſi proſint, nec ne, Medici dijudicent: Ego quidem ab aquarum iſtarum potu adhorrerem, quippe quæ in ſtalactites, ut jam notavimus, abeunt. Cæterum aquæ iſtæ tepidæ ſunt; ſulphure ſapiunt, & bitumine: craſſum velum ejuſdem bituminis ſuper aquis innatat, quod in fontis alveo præcipue videre eſt: at quod viſu jucundum, ibi velum obductum, poſt triduum, aquæ in fundum deponunt, ipſæque in melius depurantur: idem evenit in novis iſtis Balneis, ſi per triduum aquæ ibi intercludantur; craſsæ enim bituminis, ſive etiam petrolei partes, immixtæ cum ſulphure, gipſo, alumine, aliiſque mineralibus coagmentationibus, inter ſe copulatæ, propria ſui gravitate, neceſſario fundum petant neceſſe eſt: quod evidenter convincitur, perpendendo novo ad Balneos aquarum nuper excavato ductu; qui continuo expurgari debet a ſtalactitibus iſtis, ad hoc, ut aquarum fluxus, ab ipſis non interrumpatur.

Igneam quoque lavam in locis iſtis aliquando excurriſſe apparet: & in Torrentis alveo, incipiendo a Lacu Mephitico, ipſius fruſtæ diſperſæ conſpiciuntur, quin imo & pori ignei, ſive pumices, Veſuvianis ſimillimi. Admiratu digna quoque ibi eſt, ad ripam Torrentis, Crypta ex ſtalactitibus efformata: in ipſam penetrari facile poteſt, at in ea diu immorari, nec quid jucundum, nec tutum omnino eſt: Stalectites enim illæ, ſic inæqualiter inter ſe diſpoſitæ contemplantur, ut facilem minitentur ruinam: In ipſam Ego introivi, quam conicam Cellulam inſpexi: autumabam, ut vulgo jactitant, po-

tuiſſe illam longius in girum diſcurrere, ſubterraneam ipſam credens cavernam, & olim habitatam; prout in Lacu Averno de Cimeriis commemorarunt hiſtorici, ut infra dicemus: at ipſa perluſtrata, ad ejus partem occiduam, vix anguſtam rimam inſpexi, quam penetrari homini difficillimum eſt: cæterum ipſam ſedulo perpendens, id mecum ſtatui, Cryptam ab aquis iſtis mineralibus efformatam, & ideo ex ſtalectitibus eſſe. Præterea in diſtrictu ejuſdem Terræ Villæmaniæ, marmorea fodina nuper reperta fuit, ipſaque Fiſci nomine obſignata. Aquæ iſtæ, ut diximus, profluunt in Torrentem eundem, qua prope Lacum noſtrum excurrens, eo uſque ducitur ad Locum, vulgo dictum *Sierro del Lapillo*, qui jacet ad meridiem dictæ Terræ Villæmaniæ, ibique immiſcentur cum flumine, ſeu potius torrente, vulgo dicto *Fredene*, ut in Fig. I. N. VII., ex quo in flumen dictum *Calore* Hirpinorum deportantur.

§. X. Porro in Terra, *Caſtri Francorum*, & in loco vulgo dicto *Iſca Piana*, per cujus Valles flumen *Calore* excurrit, aquæ ſulphureæ abundant, quibus valetudinarii bene, ut ajunt, utuntur: diſtat Terra iſthæc inter meridiem, & occidentem, a Lacu noſtro M. P. IX. plus, minuſve.

§. XI. Nec multum a Terra iſta diſtant Montes *Syrinates*, vulgo dicti *Monti Tremoli*, quin imo, & inter ipſos, mons præaltus dicitur vulgo *Montagnone di Tremino*; ſic forſan nuncupati, quia non raro, ex ſubterraneis accenſionibus contremiſcunt: Cæterum Montes iſti miras cryptas, cavernaſque in ſuis viſceribus exibent, inter quas contemplatione digna eſt vorago illa, quam videmus, non multum diſſitam a Terra Vulturariæ: ibi tempore hiemis aquæ pluviæ, niveſque, lacum prægrandem efformant, & talis certe excreſceret, ut loca illa non hominibus, ſed piſcibus inſervirent: At natura bene hominibus conſulente, ad planitiei meridiem, & ad Montis ſuperemi nentis radices, inter ſaxa voraginem videmus,

mus, vi ignis forsan efformatam, quæ paulatim supervenientes absorbens aquas, in Montium ducit viscera, sic tempore æstivo totam planitiem relinquens refertam pratis, herbisque abundantem, ad cujuscumque generis pecus enutriendum aptissimam, & Vultariæ habitatoribus censu utilissimam: Quod si mihi quæstio moveatur, an vorago isthæc vi aquæ sæpe urgentis facta fuerit, non autem ignis; vel si montes isti alia de caussa dicti fuerint *Tremoli*, idque rationibus plausibilibus comprobabitur, ipsis & ego assentiar. Cæterum in cacumine Montium istorum, & per totum tractum ipsorum, non desunt lapides præseferentes antiquarum exustionum vestigia: ipsumque nomen *Vulturaria* sat evincit, loca ista aliquando igne fuisse agitata, ideoque *Vulturaria* dicta, non secus ac ventus urens *Vulturnus*, fatalis olim cede Romanorum ad Cannes (1); Flumen *Vulturnus* Campaniæ, & Mons *Vulturnus* Apuliæ; observante Cl. Viro D. Cyro Minervina (2); quem perperam risit auctor dissertationis, cui Titulus, *Del dialetto Napoletano* (3).

§. XII. Et denuo ad Lacum nostrum redeundo, aliquam de Colle nobis contermino, vulgo dicto *Montecchio* adnotare operæ prætium ducimus. Exurgit Collis iste ad Meridiem Lacus, a quo distat spatio unius milliarii, cum dimidio: usque ad Sæculum undecimum, ei superinnererat Civitas, vulgo dicta M*ontecchio*, quam Robertus Guiscardus A. 1076. solo tenus æquavit (4). Ad ejus radices torrens vulgo dictus *Fredene* excurrit. In parte Septemtrionali, & juxta Torrentis ripam, sulphureas, limpidas, leves, & saluberrimas emittit aquas, quæ in alveulo, ubi surgunt, sedimen album, oleosum deponunt, quod, per filamina quædam, aquas inter innatat, quæ sul-

(1) *Liv. Hist. Lib. 22. Cap. 26.*

(2) *Cyr. Minervin. Etimologia del Monte Vulture 5.*

(3) *Sub incerto nomine editus Neapoli A. D. 1779.*

(4) *Tom. a Cost. Histor. Mont. Virg.; Fel. Rend. Vit. S. Guilelm. Vercel.*

ſulphure non minus, & petroleo abundant, verum etiam & ferro, prout ex lapidibus circum adjacentibus evincitur: pallidum enim rubrum colorem præſeferunt, atque attriti a magnate attrahuntur: Lue venerea affectis, mirum in modum, proſunt: Salſedine laborantes bene ipſis utuntur: Aſmaticis juvant etiam, aliiſque morbis laborantibus: per urinam digeruntur ſtatim, & aliquando per ſeceſſum. In ipſis depaſcuntur ranæ, & vivunt. Montis hujus partes exibet Fig. VI.

§. XIII. At quod in Loco mirandum eſt: juxta aquarum ſcaturiginem, exurgunt, ſupereminentque lapides duri, per ſtrata perpendiculariter diſpoſiti, quos inter carbones foſſiles inveniuntur: iſtorum non paucos collectos ad ignem admovi; qui confeſtim accenſi lucidiſſimam emiſerunt flammam, in carbones ignitos abierunt, & demum in cinerem nigro rubram: odorem acutum petrolei emittebant, non autem gravem ſulphuris, cum bitumine, ut foſſiles carbones anglicani; quæ quidem aggregata, dum igne aduruntur, graveolentiam emittunt, & reſpirantibus nocent. Collem tunc in girum ſemel, atque iterum perluſtravi; & ad ejus latus occiduum, diſtans a ſtratis jam dictis, paſſus centum, & ultra, lapides oleo abundantes inveni, & proprie in loco, quem vulgo appellant *Il Vallone delle Caldare*: & ad latus orientale, in pari jam dicta diſtantia, ſtrata alia enarratis ſimillima inveni; licet hæc, dum igni admoventur, gravem dent bituminis odorem: ex quo mecum ſtatui, in collis iſtius viſceribus, feraciſſimam carbonum foſſilium mineram ineſſe oportere. Carbones iſti ad lamellas tenuiſſimas diſpoſiti excavantur, & ex iiſdem lapidibus, inter quos inhærent, efformatos, ipſi aperte teſtantur: plerique enim ipſorum in parte lapides adhuc ſunt, & in parte alia carbones; quod tribuendum cenſerem petroleo in monte abundante, quod lapides prædicti continuo ebibunt; ſive potius ſubterraneis accenſionibus, quibus oleum

leum a montis viſceribus expreſſum, factum eſt, ut lapides prædicti calefacti suſceperint, & adeo retinuerint, ut in tot pirites abierint, quod & in multis aliis mundi partibus evenire compertum eſt (1).

Fonticulus iſte dubio procul cum Lacu Meſitico, aliquam habet comunicationem, & ex eo convincitur potiſſimum, nam, ut ſupra notavimus, cretæ alvei Lacus craſſæ ſunt, bitumine, ſive etiam petroleo abundantes, ex quo fit, ut aquæ a Lacu hauſtæ, dum ad ignem, ſive ad ſolem evapuraverint, cretaceum, craſſum ſedimen deponant, ſaponi haud diſſimile, partibus oleoſis gravidum; nam ſi cum oleo admiſceantur, ſolvuntur ſtatim; quod ſedimen in fonticuli iſtius alveulo idem eſt; & licet aquæ Lacus puncentem in deguſtando ſaporem promoveant, id tribuendum eſt alumini, & acidis vitriolicis ibi abundantibus, quæ in aquis Fonticuli iſtius prorſus deſiderantur.

§. XIV. Ignivomum aliquando Montem iſtum fuiſſe dijudicabam: quod coniiciebam, ſedulo contemplatus tot lapides prægrandes ad ejus radices jacentes, fere in totum calcinatos; nec in Torrentis alveo deficiebant pori ignei, & lavæ olim ignitæ reliquiæ, quas ſedulo colligebam, uſque anxie inquirens etiam minima, quæ ſuper ideis perceptis poſſent aliquali modo ſtatuere; Porro foſſiles, quos diximus, carbones perpendebam, num partus eſſent collis, vi ignis ex bitumine expreſſi, ac per lapidea ſtrata ſic diſpoſiti, ſive ex eodem bitumine, ſic expreſſo, tot pirites efformati: contemplabam etiam tot ſaxa, & molis maximæ, hinc & inde ad Torrentis ripas jacentia, in partes diviſa, atque inæqualiter ita diſpoſita, ut præcipitem ruinam minitentur. Idem mihi ſuadebat colliculus alter, ad orientem reſpiciens Collem iſtum; *Serra* concives mei colliculum illum appellant: ibi per ſtrata diſpoſiti effodiuntur lapides calcarii, & vitreſcentes,

(1) *Turr. Tract. 3. Sect. 5. Cap. 1. De Bitum. Idem de Congret.*

res, qui malleo concussi, faciliter abeunt in lamellas, ut plurimum inter se æquales, pari eodemque modo, prout lapides supereminentes aquis sulphureis, inter carbones fossiles, quos notavimus : In effossione, nonnullæ occurrunt cryptæ, sive inter lapides istos rimæ tortuosæ, ex quibus apparet, lapides non esse inter se continuos, nec ab initio ibi enatos, sed ab alio loco evulsos, ibique, ex terræ, aut ignis motu sic inæqualiter dejectos, atque concumulatos ; ideoque ajebam, apposite locum dictum fuisse *Serra*, nempe quia a colle antedicto per vim scissum: non secus ac, locus in Territorio Campano, vulgo dictus *Vadiserra*, quem commemoratur Pratillus, alia quoque loca memoratus, quæ & *Serra* appellitantur (1). Idem mihi suadebat Terra contermina locis istis, *Taurella*, ex ditione Excellentissimi D. Josephi Caracciolo, Principis ejus Optimi, ubi antiquarum conflagrationum notissima exibentur contemplanda signa, ideoque *Taurella* nuncupata, observante D. Ciro Minervina (2); a qua ad semptemtr. non longe distant *Campi Taurasini*, ex Pirro Victoria Romanorum nobilissimi (3), & Ligurum coloniarum deductione, de quibus inferius (4), celeberrimi ; ita forsan ex antiquis exustionibus nuncupati.

§. XV. At post reiteratas per loca inquisitiones, omnis cessit hesitatio: dum enim collem istum exacte perlustrabam, in saxum haud spernendæ molis incidi, vulgo dictum *La Pietra di Peluso*. Elevatur Saxum istud in Collis visceribus, ad Meridiem Fonticuli antedicti, a quo distat passus XXXVI.; ad radices saxi istius antiquas igneas rimas observavi, saxumque ipsum, in girum, ut ita dicam assatum, atque combustum, cujus rimæ ad Fonticulum ducunt, ideoque; antedictis tunc collectis ideis, me-

(1) *Pratilli Via App. L. 2. C. 8. fol. 209.*
(2) *Cyr. Minerv. In Etimolog. Mont. Vultur.* §. *XVIII.*
(3) *Flor. Lib. 1. Cap. 18.: Oros. L. 4. C. 2.*
(4) *Liv. Lib. 40. Cap. 18. & 20.*

mecum certe ſtatui, ſaxum iſtud aliquando ad radices arſiſſe, deinde ob aquarum ſupervenientiam extinctum.

§. XVI. Nec reticendum eſt, quod nuper factum vidimus in ſaxo eodem: Die enim nona Menſis Aprilis A. 1781., hora diei Italica vigeſima prima, repente ad ejus radices, fragor non modicus, velut tonitruum, auditus eſt; dehinc ad ſaxi partem occiduam, terra exciſſa, ita ut quæ prius in Collem continuum deſinebat, in rupem præaltam abierit: arbores quercuum, & caſtanearum annoſæ, quæ in loco admirabantur, partim abſorptæ, inter quas nucis arborem firmiſſimam ego contemplabam, dum paulatim deſcendendo, in totum terra deglutiebatur; partim evulſæ, aliæque hinc, & inde inæqualiter diſperſæ, terraque ſciſſa in ſuis met viſceribus recondebatur ut in Fig. VI. N. IV.; qua quidem in actione ſpectatu erat digna, duravitque, uſque ad diem vigeſimam primam menſis ejuſdem: id repentinæ ſubterraneæ accenſioni tribuebam: quod ſi flammas exterius præruptas haud vidimus, ab aquis in loco, ut diximus, interjacentibus, factum dicerem, quarum vi inter Collis viſcera ſunt extinctæ; nec ſi fragorem præcedentem tribuere velimus præcipiti maceriarum illarum ſciſſuræ, ſubſiſteret: nam fragor ille, per duas horas antequam terra corrueret, auditus eſt; dehinc terra, a jugi collis altitudine ſciſſa, ad ſaxus radices præceps corruit, ubi in ſemiplano ad præſens ſubſiſtit: ibi igitur autumavi, ignea accenſione, voraginem efformatam, ex quo, cum baſis collis ſuperimpoſiti, conſumpta in partem deficeret, proprio pondere, præceps ibi neceſſario corruit, & terra ſic ſciſſa, arboreſque abſorptæ: licet non negaverim, alia id de cauſſa accidere potuiſſe: jam diximus, ad ſaxus radices contemplari aliquas cryptas, ſive rimas, ab igne dubio procul efformatas, ideoque credendum eſt, & alias in loco antiquas ſubterraneas cavernas ineſſe, quæ jamdudum vi ignis aſſatæ, poſtmodum aquæ, & temporis in-

juria imminutæ corruere utique poterant, ſuperimpoſitam molem ſubvertere, atque donec eſſent impletæ, ipſam in ſuis viſceribus excipere.

§ XVII. Has præcipites ruinas in Monte Veſuvio non raro vi ignis evenire experti ſumus, quod cæteroquin funeſtum ibi, & per Loca adjacentia ſemper eſt: moles enim, quæ præcipites in ejus perrumpunt viſcera, dum in meatus ſpirantes incidunt, poſt fragores immodicos, igneas eruptiones, ut plurimum promovent, prout factum vidimus ſub die octava Menſis Auguſti, Anni 1779.; tunc enim temporis, & non multos ante dies, Montis cacumen jampridem interius ab igne corroſum, tandem anfractum præceps in Voraginem corruit, inciditque, ut ego opinor, in igneos ſpirantes meatus; ex quo ignis, flatuſque ſpirantes ſub ejus pondere interclusi, fragores violentos edebant continuo, donec materia ignis percreſcens, meatus ſuos extricando, in aërem, velut ignitam columnam rejecit ſaxa, & ignem, & ſcorias; quæ ad Mare Adriaticum uſque evolarunt, prout impetu ſpirantis tunc venti ducebantur; non diſſimili quidem actione, quæ in Lacu noſtro Mephitico viſa fuit, in Anno 1732.; qui ut ſuos ſpirantes meatus detergeret, poſt fragores, jugeſque immurmurationes, lapides ſpiracula impedientes, in aërem eructavit, ut ſupra §. 31. Lib. 1. jam notavimus; quod ad ſaxus radices minime evenit, ob tenuitatem partium ignitarum; ſed per tranſendam hæc ſint dicta; jam enim de Veſuviana illa eructione Viri Clariſſimi diſſeruere, inter quos Cl. Memoriæ Pater D. Johannes de Turre, & eruditiſſimus D. Dominicus Tata, quos vide.

§. XVII. Inter Lacum noſtrum, huc uſque enumerata Loca, & Veſuvium, aliquam communicationem eſſe, ut præmiſi, contenderem; niſi velimus cum Pindaro, relato a Strabone (1) dijudicare: *quod omnis tractus, ſi a Cu-*

(1) *Strab. Geograph. L. V.*

Cumis incipias; usque in Siciliam ignitus est, & profundas quasdam in unum cöeuntes habet cavernas, in Græciam, & continentes terras exporrectas: Ideoque Ætna, & Liparenses Insulæ, & Puteulanus ager, & Neapolitanus, & Bajanus, & Pithecusæ talem habent, qualem cuncti scriptum reliquere, naturam: quibus locis, si mea me non fallit opinatio, Valles æque Anxanti cumulandas absurdum esse non dubitarem: Quinimo & hoc conjicerem ex jugi actione, in qua Valles nostras novimus, a Trojanis temporibus, ut mox dicemus, usque adhuc perdurantes; jam enim si secus esset, ex tot assiduis exufflationibus, minera isthæc depauperari debuisset, & in suo, sic brevi restricta ambitu, tandem aliquando finiri: Ex quo dicendum est, necessario cum aliis mineralibus Locis, Mephitim Anxanti communicare, & vicissim per meatus subterraneos inter se enutriri: ac proinde Pindarum supra relatum vera nunciasse: nam præter quam quod id evinci posset ex adhuc sevientibus in Messana, & Magna Græcia Terræmotibus; quibus, dum ibi Urbes, & Oppida solo tenus æquantur; Loca Anxanti Vallibus contermina, non semel concussa audivimus, usque & ipsam Urbem Neapolim: idem aperte testatur Lacus ipse Mephiticus: Aquis enim præter solitum abundat: In medio colliculorum ei superimpositorum rimam alteram exufflantem efformavit, ex qua terra cretacea, bitumine intermixta, cum aqua nigerrima, in aërem eructatur: In Loco, quem diximus vulgo appellari *Caccabo*, nova & duo alia in fronte portendit foramina, velut in girum affata, mirum in modum evapurantia: Et in Loco, vulgo dicto *Le Fressole*, aquam, quam ibi supra notavimus ebullientem strepere, modo usque ad quintum Neapolitanum palmum, violenter in aërem ejicit: Quas immutationes, utpote omnino in Loco novas, apposite in Figura VII. incidi operæ prætium duximus.

§. XIX. At utcunque se res ista habeat, prius quam

 ad

ad alia gradiamur, dicam, Montem, de quo loquimur, forſan antiquitus *Montem Echium* fuiſſe nuncupatum; prout in Civitate Mons, quem vulgo appellamus *Pizzofalcone*, *Echia* dicebatur, ad cujus radices aquæ Minerales ſcatent: quique antiquitus arſit & ipſe; quidquid in contrarium edixerit Martorelli contra Laſenam, Capacium, & Marandam, ſcribentes: *latentem in eo monte ignem, velut in tota hora ineſſe*; & Urbem Monti ſuperimpoſitam, quam deletam notavimus a Guiſcardo, appellitatam fuiſſe *Echiam*, ſive potius *Eclam*, non diſſimili denominatione ignivomi Montis, *Ecla* nuncupati, ad inſulam *Tulæ*, *in Islandia*, qui ad radices ignes emittit, prout Mons noſter emittebat olim: Cur vero diceretur *Echia*, ſive *Ecla*, etimologiam exquirent alii a græco, ſive a fenicio idiomate, non ego; terret enim me eruditus, ſed nimis plagoſus Vetrani, qui in ſuo Prodromo Væſuviano, nec Jacobo Martorelli, Viro Clariſſimo, & præceptori ſuo, pepercit.

Et ſi in rebus vetuſtis aliquid veroſimile opinari fas eſt: autumarem celeberrimam Hirpinorum Urbem *Æclanum*, a Monte jam dicto, denominationem ſortitam fuiſſe; vel ipſam Monti nomen mutuaſſe, quippe qui, non improbabili conjectura, ſub Æclanenſium ditione fuerat, quod ex lapide inſequenti evinci poteſt.

D. PATER. SENATORIS. M.
POPPIVS. GAL. MARCELLI
NVS. SPLENDIDVS. EQVES. R. P. N. P.
PRON. P. ABN. CVR. CIVITATIVM.
COMPLVRIVM. PRINCPS. COL. AECLANENS.
PATRONVS. COMPS. FRATVENTINOR. NERETINOR.
SIBI. ET. EPPIAE. FIRMAE. VXORI. KARISSIMAE.
ET. TETΛEO. MARCELLINO. NEPOTI.
VIVVS. Ɔ FECIT.

Lapis iſte obſervatur in vicina Civitate S. Angeli Lombar-

bardorum, in angulo dextro prospectus exterioris Palatii Principalis: Crediderunt nonnulli Palatium hoc, Poppii istius sepulcrum fuisse; id ex lapide relato conjicientes, sed perperam: Palatium enim istud, licet magnificæ, recentis tamen structuræ est: nec lapides sepulcrales, vel cujuscunque alterius generis, quod sciam, in angulo sepulcri conlocabantur, sed ejus in medio, sive in fastigio; Idcirco dicendum est, palatium istud fuisse opus Longobardorum, sub quorum ditione Civitas illa olim fuerat; & probabiliter ipsorum Castrum, pro ut in loco eminenti constructum, ex quo usque ad præsens appellatur *Il Castello*. Castrum hoc Placidus Imperiali, Princeps ejusdem Civitatis Excellentissimus, aliis, ad latus occiduum, excitatis ædificiis, in augustiorem palatii formam redegit. Lapis igitur, de quo loquimur, dicendum est, quod ab antiqua jam deleta Urbe *Ecla* fuit transportatus, ibique cum aliis quadris lapidibus, ad firmissimum construendum Castrum, accomodatus: quod ex eo utique evincitur, nam cum inter maceries antiquæ jam dictæ Urbis *Ecla* inquirerem, si quid notatu dignum invenirem, ad ejus Orientem inveni lapidem alium sepulcralem, ab eodem Poppio, Juniæ cuidam Fortunatæ positum, ejus certe Concubinæ; ipsam enim in lapide, sibi *amantissimam* dicit, nec uxorem, aut filiam, vel Nurum, sive neptem aut Libertam appellat; cujus verba sunt sequentia

D. M.
POPPIVS. MARCELLINVS.
IVNIAE. FORTVNATAE. SIBI.
AMANTISSIMAE. F.

Lapidem hunc, me suadente, Placidus idem Imperiali, Princeps sapientissimus, in prædictum sui Palatium transportandum curavit: in eodem igitur loco, ubi lapidem istum ego inveni, credendum est, quod Poppii sepulcrum fue-

fuerit erectum: At utcunque sese res ista habeat, certum est ex adducto lapide, Poppium Marcellinum fuisse Principem Coloniæ Æclanensis, ac proinde in loco, ex ditione Coloniæ ejusdem, sibi vivum sepulcrum excitasse, & apposite prope Montem, de quo loquimur, qui ut cæteri Vulcani relligione pari colebatur.

§. XX. Hanc inscriptionem refert Scipio Bellabona Historicus, & Civis Abellinensis, sed mendose transcriptam, & pessime, non dicam illustratam, sed ab ipso penitus deturpatam: Et ut alia prætermittam; notissimas siglas D. M. primi versus, quæ *Diis. Manibus.* sonant, primam legit *Decii*, alteram *Marcus*; ibique somniatur *Decii Senatoris* factam mentionem, de quo in lapide verbum nullum: impertinentes interpunctiones addit alibi; & in quinto versu, ubi legitur *Coloniæ Æclanensis*, legit *Alcianensis*, novam sic effingens Coloniam, quæ nunquam fuit in Orbe. Lapidem hunc, Ego exacte perlustravi, ibique Coloniæ Æclanensis, literis cubitalibus, legitur: de somniato *Decio* a Bellabona, nulla occurrit mentio, & talis quippe est, qualem supra retulimus. Legendum igitur est DIIS. MANIBVS. in siglis D. M. primi versus; & in quinto versu COLONIÆ. AECLANENSIS; cujus Princeps fuit *Poppius Marcellinus*, sive Coloniæ illius Consul, aut Senatus Princeps, sed vere inter Optimates primum tenens locum (1): & re quidem vera, quod Poppius iste vir fuerit clarissimus, ex eodem lapide aperte colligitur; Curator quippe fuit Civitatum complurium, sive ipsarum legislator (2), nec non & Patronus Compsæ, Urbis Hirpinorum celeberrimæ (3), sicut & Fratuentinorum, & Neretinorum Populorum, quorum Plinius meminit (4).

At

(1) *Carol. Sigon. Lib.* 1. *fol. m.* 433.
(2) *Carol. Sigon. Lib.* 1. *Cap.* 4. *f.* 666.
(3) *Paul. Merul. Lib.* 4. *Part.* 2. *&c.*
(4) *Plin. Lib.* 3. *Cap.* 2.

At cujus familiæ *Poppius* iste fuerit, in statuendo, diu exitavi: Sejugendo in primis literas PP., legebam *Publium Oppium*: memineram enim *Publii illius Oppii*, relati a Grutero (1), cujus inscriptionem perbelle illustravit Eruditissimus Episcopus Johannes de Vita (2): Verum enimvero cum gens *Oppia* fuerit plebeja, & ex Tribu Tarentina (3); *Poppius* autem noster in lapide inscribatur ex Tribu *Galba*, de gente *Pupia* excogitabam, ad quam *Poppium* referre nec audebam, nam licet recte V, legi poterat immutata in litera O, geminatæ, tamen PP. id mihi dissuadebant: idcirco ad gentem *Poppæam* referendum esse censui, quæ Consularis fuit; ac proinde crederem *Poppium* istum fuisse Patrem illius *Marcellini*, qui Senator fuit & Consul cum *Lucio Marcio Philippo* A. V. C. 698. (4), de quo Cicero ad Lentulum (5); sicut & Conjugem ejus *Eppiam Firmam* illam forsan fuisse, quam idem Cicero in suis Philippicis *Ippiam* appellat (6). Cur vero ad Tribum Galbam, non autem Galeriam Gentem istam retulerim, id ex lapide eodem conjeci: Tribus enim Galeria inter Tribus rusticas venerat; Galba vero inter Nobiles (7); At Poppius noster splendidus Eques Romanus in lapide inscribitur, Paterque Senatoris salutatur, ideoque ad Tribum Galbam potius referendum existimavi.

§. XXI. Sed quoniam de Inscriptionibus occurrit sermo, non erit abs re, nonnullos lapides in locis istis repertos hic afferre, prius quam ad alia veniamus. In eadem Civitate Æchia, lapidem insequentem inveni, qui penes me asservatur.

D.M.

(1) *Grater. Pag. 987. Num. 9.*
(2) *De Vita Inscript. P. L.*
(3) *Waillant. in Numm. Famil.*
(4) *Jauson. Fast. Consul.*
(5) *Cic. Epist. Famil. L. 1.*
(6) *Cic. Philipp. 3.*
(7) *Carol. Sig. de Colon.*

D. M.
CAESIAE. IVCVNDAE.
L. FIRMANVS. C. B. P.

Et *Cæſiam* iſtam ex Romana *Cæſiorum* Familia fuiſſe autumarem: Gens *Cæſia* Plebeja fuit; ſiquidem *M. Cæſius* Prætor, de quo loquitur Cicero (1), Tribunus Plebis fuit A. V. C. 671. *Lucii Cæſii* denarium Waillantius refert, atque, ut ſui moris eſt erudite interpretatur; ſed aliqua ejus illuſtrationi adderem Ego: *Caput Apollinis laureatum dorſo tenus, ſagittam dextra vibraturus, in area AP junctis literis; in averſa L. CAESI. duæ Figuræ ſedentes fere nudæ, cum pelle, ambæ ſiniſtra haſtam, ſiniſterior cani intermedio ablanditur, hinc LA., illinc RE., junctis pariter literis, in vertice Caput Vulcani, pone quod forceps*: Hæc habet Waillantius: At ſi nummus ab ipſo relatus attente conſideretur; Figuræ partis averſæ, ſiniſtrorſum fugiunt, non autem ſedent, nec pelle veſtiuntur, ſed veſtem ſuccinctam habent, ad fugam ut ſint expeditiores, canis intermedius ipſas comitatur, & caput Vulcani dextrorſum ſtat; prout attente conſiderati ſumus in nummo argenteo, qui in meo Muſeulo aſſervatur: Iſtis igitur ex ſimbulis conjicerem, ideo in Nummo Caput Vulcani effictum, ut gentis *Cæſiæ* origo indicaretur, a Monte nempe iſto ignivomo, ſic in Capite Vulcani, cum attributis deſignato: Figuræ autem illæ ſeminudæ fugientes, gentem *Cæſiam* Romam verſum abeuntem portendunt, Urbe forſan *Echia* ab eructionibus igneis Vulcani iſtius ſubverſa: nec alienus eſſem ab opinando, ideo haſtas in Figurarum manibus accomodatas, ut oſtenderent Gentem *Cæſiam*, ab Hirpinis, ſive a Samnitibus originem duxiſſe, haſta enim notiſſima fuit Samnitium armatura, *Saunia* ab Græcis nuncupata (2): Cur autem

Gens

(1) *Cic. in Verrem.*
(2) *Lipſ. in Poliorcetic. 1. de Machin.*

Gens iſta dicta fuerit *Cæſia*, ſi a *Cæſiis oculis*, ut tenet Waillantius, ſive a *Venere Cæſia*, aut *Minerva Cæſia* (1), quas ritu peculiari colebant, pro certo rem ſtatuere, quis ne præſumpſerit? Et licet adductæ in nummo Literæ inter ſe copulatæ LA. RE., ad Lares referat Waillantius, attamen credi quoque poteſt, in ipſis expreſſum cognomen Lare, quod Gentis Cæſiæ forſan fuit peculiare, ut in Gente Accoleja, illud Lariſcolus ec. (2). Cæterum an Lucius Firmanus, Vir Cæſiæ iſtius, ille Lucius Equitius Firmanus fuerit, qui a Lucio Apulejo proponebatur Populo, ut Tribunum eligerent, licet pro certo affirmare non audeam, illius tamen fata perpendens, ipſum forſan fuiſſe aſſerere non dubitarem.

Lucius Apulejus, ut Firmanum ad Plebis Tribunatum eveheret, cum homo novus, & ex incerta eſſet Tribu, ipſum commendabat Plebi, tamquam filium Caji Sempronii Gracchi; nominabatque eum non Firmanum; ſed Lucium Equitium Graccum; Stabat Apulejus pro Firmano, quem noverat Virum ſeditioſum, & Nobilibus infenſiſſimum, ac proinde aptiſſimum judicabat, cui Tribunatus Pl. concrederetur, ad Leges Agrarias præcipue promovendas, tuendaſque: At fraude detecta, Q. Cæcilius Metellus Numidicus, tunc temporis Cenſor, nec inter Cives Romanos Firmanum cenſeri paſſus eſt (3). Ex quo conjicerem, vere Firmanum Civem Romanum non fuiſſe, ſed Montis Echiæ oriundum, ac proinde Hirpinum: Et licet natus forſan Romæ, ibique a ſuis obſcuri nominis Parentibus educatus, atque cum Cæſia maritatus; enecato tandem Apulejo, ejus fautore, a Rabirio (4), necnon & Cæcilio Metello ab exilio revocato; Ipſe cum uxore

(1) *Cic. de divinat.: & Idem Lib. 1. De Natur. Deor.*
(2) *Waillaut. In Numm. Famil.*
(3) *Hiſtor. Univerſal. Volum. 5. Part. 1. Cap. 9. Fol. 193.*
(4) *L. Flor. In Liv. Decad. Lib. 69.*

Cæſia, in Echiam Civitatem iſtam aufugit, ubi mortuam tumulavit, Titulum poſuit.

§. XXII. Ab his quoque locis debuit in vicinam S. Angeli Lombardorum Civitatem, transferri Vaſca illa Sepulcralis, quæ ibi admiratur, ad aquas fontis excipiendas nunc accomodata; vel dicam potius deturpata: ex marmore albo eſt, longa palmis octo, lata quatuor, habetque in fronte hinc, & inde duos genios alatos cum facibus, ſequentem inſcriptionem in corona ſuſtinentes.

D. M.
P. COI. RVFINO.
QVI. VIXIT. ANNIS.
LVIII. M. VII. D.
XV. SP. VI. IDVS.
OCT. P. DATIANO.
ET. CIPIANO. C M.
CON.

Publicum hunc Cornelium autumabam illum fuiſſe, qui A. V. C. 573. cum M. Bæbio, Ligures jam ſubactos, ex S. C. traduxerunt in Tauraninorum agrum, qui publicus erat Populi Romani in Samnitibus, ut Livius teſtatur (1): quin imo mecum ſtatuebam, agrum a Livio deſignatum, non ſolum in Terra nunc dicta Tauraſium eſſe (cujus campi Romanorum ex Pyrri victoria calebres ſunt (2)), verum etiam & in locis nobis conterminis, nempe in Terra nunc dicta Taurella, quæ in Hirpinis & ipſa eſt, qui & Samnites erant, & dicebantur, ut ſupra notavimus: Sola enim Tauraſium excipere haud poterat quatraginta millium Ligurum capita libera, quot tunc temporis ibi deducta dicuntur, & alia ſeptem millium ſub Conſuli-

(1) *Liv. Hiſt. L. 40. C. 18.*

(2) *Plutarc. in Silla: Flor. L. 1. Cap. 1. 6.: Frontin. L.4. ſtratag. Cap. 1.: Oroſ. L. 4. C. 2.: Zoner. Annal. Volum. 2.*

ſulibus Poſtumio, & Fulvio A. V. 574. (1): In Tauraſio igitur, in Taurella diſpertita, & ulterius per loca adjacentia; & ſignanter Ego crederem in Terra Leonum nunc dicta, quæ forſan Ligurum dicebatur, uſque ad Compſam, Urbem Hirpinorum celeberrimam: Sane in Locis iſtis antiquorum ædificiorum veſtigia non raro inveniuntur: cryptæ ſcilicet firmiſſimæ, aquarum ducti plumbei, & lapidei, ſepulcra, & auguſta ducum faſtigia: Sic in campis latiſſimis inter Terras Leonum, & Taurellæ, trophæum nobiliſſimum videmus erectum Marco Paccio Marcello, & proprie ubi ad præſens Monaſterium divi Guilelmi ſitum eſt, & inter ejus clauſtra, cujus inſcriptio hæc habet

M. PACCIO. G. F. GAL.
MARCELLO. PRIMI-
PILARI. LEGIONIS. IV.
SCYTICAE.

Jam Marcus iſte Paccius Marcellus ex Tribu Galeria, ſive Galba functus fuerat officio Centurionis, qui & Primipilus dicebatur, ideoque in lapide Primipilaris dicitur (2): An ſi Pater fuerit Paccii Stratonis, cujus ſit mentio apud Reineſium? (3); quidquid de Ovio Paccio Samnite ſomniaverint alii reticendum.

In Taurella ſepulcrum pulcherrimum nuper repertum inſequenti inſcriptione decoratur,

D. M.
C. BLASSIVS. C. F.
GAL. H. S. E.
P. BLASSIVS. C. F.
C. M. Q. N.
BLASSIS. VIVIS. F. F.

G 2 quam

(1) *Liv. L. 40. Cap. 20.*
(2) *Carol. Sigon. de Antiq. Jur. Provinc. Lib. 2.*
(3) *Reinn. Claſ. XVII. Singul. ab Incert. Inſcript. LXXXIX.*

quam ego ſic Legerem : *Cajus . Blaſſius . Cai . Filius . Galerius . Hic . Sepultus* vel *Situs . Eſt Publius . Blaſſius . Cai . Filius . Cum . Marco . Quinto . Nepote . Blaſſiis . Vivis . Sibi . Et . Suis . Fecerunt .*

Et aliam inſcriptionem in eadem Taurella habemus inſequentem .

D. M.
M. TREBIVS. M. F.
MAXIMVS.

& de qua inferius aliqua dicemus ; prætermiſſis & aliis ſepulclaribus Lapidibus : porro nummi antiqui continuo effodiuntur in campis iſtis , nec non & achates , & corniolæ inciſæ ad uſum annulorum , inter quæ , unum Ego Sardachatem nobiliſſimum , ab agro Ferentino acquiſivi , multifariis coloribus diſtinctum ; hic Deum Bonum Eventum inſculptum exibet , dextra elata , ciſtum cum fructibus ſubſtinet , ſiniſtra demiſſa urceolum , velut irrigaturus arborem , eum pone naſcentem ex ara , quam habet ad pedes : opus certe Sculptore optimo elaboratum : hunc adamantibus circumdatum annulo aureo , ad Fratris mei uſum accomodavi ; ſicut & Hiacintum inſignem , portendentem Armeniam ; ſedet enim ſuper montibus novem , capite galeato , veſte reticulata , faretram habens ad humeros , dextra ſpiculum , ſiniſtra arcum ſuſtinet , velut ſagittas vibratura : Has gemmas , inquam , in campis Leonum , & proprie in agro Ferentino paſſim inveniunt villici ; ſigna quidem certiſſima , quod Viri haud ſpernendæ conditionis , loca iſta incoluerunt .

Porro non longe diſtat a locis iſtis Terra Montalla nobiliſſima ; ubi caſtrum etſi dirutum , certe ampliſſimum , & fabricæ antiquiſſimæ , contemplatur : nec deſunt in vicina Terra Balneoli , vulgo dicta Bagnulo , & Bagnuoli quæ olim forſan dicebatur Batulum (1) , venerandæ anti-

ti-

(1) *Virgil.* 7. *Georg.*

tiquitatis monumenta: In Civitate Nusci, præter castrum firmissimum, lapides sepulcrales: busti virorum, cum variis militaribus attributis abundant: ibi locus contermimus, habens diruta ædificia, dicitur Acarnania: In campis Leonum adhuc parietes cernuntur antiquæ deletæ Urbis, quam Oppidum dicunt: ibi quoque fuit Civitas Ferentinum, licet modo nomine excepto, quod adhuc retinet, aratro, & vomere ad fruges expetendas agitetur: Cæterum id mihi ex eodem Livio suadebam: Nam sedulo inquirens quisnam, & ubi ager ille erat, quem Romani publicum in Samnitibus possidebant: ex textu eodem colligebam, agrum fuisse *Taurasinorum*, prout in uno Liviano Codice habetur; at alii habent *Tauraninorum*, & alii in *Monte Tauraninorum* (1). Ego quidem Taurasinis sui antiqui nominis gloriam contendere haud in mente habeo; sed nec Taurellæ gloriam imminuere æquum est; quippe si ager Samniticus a Romanis possessus in monte Tauraninorum erat; cui dubium, quod de Monte Ecina, Taurellæ, ut diximus, contermino, Livius fuit locutus, quem Montem Viri fortissimi usque ad Robertum Guiscardum incoluerunt; Monti huic Taurella ad occidentem est contermina, inter orientem, & meridiem copulantur Leonum Campi, Ferentini, Nuscain, Oppidani, & ulterius ad Compsam usque extenduntur planities ad fruges uberrimæ, aquisque abundantes, & silvis; ac proinde hominum usibus bene optimeque dispositi: Præterea memineram vere Ferentinum urbem a Romanis possessam: ipsa enim post Romuleam direptam, A. V. C. 457 a Consulib. Q. Fabio Maximo Rulliano, & a P. Decio Mure captam (2) & rursum in A. 460., Ipsa a suis

(1) *Vid. Liv, Opera Edita Patavii A.* 1759. *Cum Supplem. I. B. L. Crevier. L.* 40. *C.* 18.

(2) *Liv. Lib.* 10. *Cap.* 11.

suis habitatoribus deserta, Consulem L. Postumium Mugillanum potitum, ex eodem Livio colligimus (1). Præterea Compsam a Trebio in manibus Annibalis traditam (2), Q. Fabius Consul A. V. 538. vi cepit, ac proinde jure belli in potestatem Populi Romani venerat (3), ejusque ager ibi a Livio describitur, quod fit in Samnio, quem non raro cum Hirpinis confundit; forsan ut unam eandemque esse gentem indicaret. Et denique id colligebam perpendens verba nonnullorum Auctorum describentium Romanorum ex Pyrro victoriam, relatam in Campis Taurasinis: Campos enim istos esse *apud Lucaniam*, ibique partam de Rege Victoriam scribunt; scilicet in Locis Lucaniæ finitimis (4): prout revera erant Hirpini, & signanter Taurella, Ferentinum, & Campsa. Scio Josephum Antoninum, Lucaniam illustrantem, omnino bellum Pyrreum campis Turasiii denegasse, ipsumque contendere sequutum in campis Acheruntinis (5), eo fisum argumento, quod Forentum, dictum a Frontino Fatuentum, longe distat a Taurasio, & a Benevento, ac proinde incredibile esse dicit, castra Pyrri locata per octoginta milliaria dissita ab Acheruntia, ubi ut dixi somniatur Antoninus cum Pyrro Romanos certasse, ibique Pyrrum victum, atque saucium fugisse; & hoc ductus argumento Historicum Samnii Ciarlantem Antoninus ridet, aliosque Frontinum exponentes decerpit: At Lucano Scriptori parcendum, dum facta celebriora in Lucania eventa, rationibus non improbabilibus certat: Cæterum relictis opinationibus, ut jam notavi, bellum quo Pyrrus fuit a Romanis victus, fugatusque, vere in cam-

(1) *Liv. Lib. X. Cap.* 24.

(2) *Liv. L.* 23. *Cap.* 1.

(3) *Liv. L.* 24. *C.* 10.

(4) *Oros. L.* 4. *C.* 2.: *Flor. L.* 1. *C.* 18.

(5) *Joseph. Antonini Lucania Part.* 1. *Discurs. IX. fol.* 47. *ad* 53.

campis Taurasinorum, sequutum affirmo, nempe in Campis, incipiendo a Taurasio, per Taurellam, Agrum Ferentinum, sive Leonum, & Oppidanorum, quod ex eo etiam evincerem, nam ad partem Occiduam Urbis Ferentinæ, & non longe a Monasterio divi Guilelmi Vercellensis, in planitie non modica, Locus adhuc vulgo appellitatur *Il Campo*: Et hoc pacto, si bellum factum fuit in Taurasio, & legere velimus in Frontino, quod Romani potiti fuerint castris Regis prope Ferentum; dicam prope Urbem Ferentinum, quæ decem vel circa milliariis distat a Taurasio; vel si malimus legere Fatuentum, diceren urbem Hirpinorum, quæ hodie dicitur Frequentum indicatam, quæ quatuor milliariis distat a Taurasio, & ejus campis; Praterea ludit Antoninus perpendens verbum Ferentum, Fatuentum, sive Beneventum; ut legunt Ciarlante, Scriverius, & Boncarsius; at in quo Liviano, Orosiano, Frontiniano, Miscellano, Floriano Codice campos, de quibus loquimur, invenerit scriptos Acheruntinos, pro Arusinis, sive Taurasinis, ut omnes habent editiones, præter suam opinationem, verbum facit nullum: Et o utinam & Textus aliquis Campos Acheruntinos, prope Ferentum, aut Fatuentum haberet: tunc enim pro campis nostris Anxantinis contenderem & Ego: nam Lacum nostrum Mephiticum sub Acherontis auspiciis quoque fuisse, Majores nostri inepte crediderunt; quin imo & ipsorum stultitiam Villici nostri ad præsens, licet ore tenus, imitantur tamen: dum enim ad Lacum accedunt, ipsum versus exclamant *Alza Caronte*: quod certe acceperunt a Majoribus, qui Acherontem Inferorum portitorem venerabantur, ac proinde, cum Lacum nostrum Mephiticum Januam Inferorum crederent, ibi ejus portitorem Acherontem clamabant, ut altius mephiticas undas extolleret, inferiasque pro Manibus suorum exciperet.

Con-

Contenderem idcirco cum Antonino, pro campis Acherontinis, Campos noſtros Anxantinos deſignatos, qui Ferentinam Urbem habent conterminam inter Meridiem, & Orientem, & Fatuentum, ſive Frequentum inter Septemtrionem, & Occidentem: quod cum genus eſſet divinandi potius, non autem vetuſtatis a latebris veritatem involutam eruendi; ſtandum omnino auctoritati Frontini, Flori, Oroſii, aliorumque Scriptorum; Antonino certe antiquiorum, cenſerem: Idcirco ut præmiſi, ex ſupra relatis animadverſionibus ſuſpicabam, inter Tauraſium, Taurellam, Ferentinum, & Oppidum, uſque ad Compſam, quarum agri, ut notavimus, erant ſnb ditione Romanorum, Lugures fuiſſe diſpertitos: Et in campis iſtis victum fuiſſe Pyrrum, qui campi vere prope Lucaniam ſunt, quin imo Compſam in Lucania a Ptolomæo deſcribitur (1). Harum in medio, nempe inter Ferentinum, & Taurellam ſtat Mons noſter, ſive Civitas Echia, ubi diximus Cornelium tumulatum: autumabam igitur poſt peractum Romæ triumphum de Liguris iſtis; ad res conficiendas, Cornelium in hæc loca reverſum periiſſe, ibique VI. idus Octobris ſepultum.

Verum enim vero, melius re perpenſa, ſecus ſtatuendum cenſui de Viro, cujus mentio fit in lapide: Et re quidem vera Cornelius Ligurum triumphator, & deductor in loca ſuprarelata, fuit P. Cornelius Cethegus (2): at lapis, de quo ſcribimus, poſitus fuit Publio Cornelio Rufino; idcirco Ipſum crederem fuiſſe P. Cornelium Rufinum, atavum L. Cornelii Sillæ Dictatoris, cujus Plutarcus meminit (3). Is Conſul Romæ fuit A. V. 464. (4) cum

(1) *Ptolom. Europ. Tab. 6. fol. m.* 44.
(2) *Liv. Lib.* 40. *C.* 18.*: Valer. Max. Lib.* 1. *Cap.* 12.
(3) *Plutarch. in Vit. Sillæ.*
(4) *Janſon. Faſt. Conſul.*

cum Manio Curio Dentato, & Conſul iterum A. 477. cum C. Junio Bruto Bubulco Cotronem obſedit, atque expugnavit (1); Anno V. C. 476. triunphavit de Lucania, & de Brutiis, ut ex Tabulis Capitolinis Zonara refert, licet Goltzius Collegæ ejus Bubulco triumphum tribuat (2): ſed certe: *contra Samnites* -- Cornelius Rufinus, & ejus collega Bubulcus -- *miſſi*, *ingentibus prælii eos confecere: ita ruinas ipſas Urbium diruentes, ut hodie Samnium in ipſo Samnio requiratur, nec inveniri facile poſſit*: ut loquitur Hiſtoricus, cui Titulus Miſcellæ (3). Magno in honore Romæ fuit Cornelius Rufinus, & ejus Familia: At comprehenſus poſſidere ſupra decem libras argenti concavi, quod Lege Cenſoria Civi Romano erat interdictum, ejectus fuit ab Ordine Senatorio, in cujus albo erat (4). Ex quo crederem, quod vir Clariſſimus injuriam ſibi illatam, iniquo animo ferens, aut eadem Cenſoria Lege edicente, exul ab Urbe ſeceſſit in Loca iſta, jamdudum ſibi nota, ibique mortuum, atque tumulatum.

De *P. Datiano*, & *Cipiano* ſequitur mentio in lapide, qui credi poſſent Conſules, ex literis ſubſequentibus, CON., at illos in Faſtis Conſularibus non habemus, excepto Datiano, qui Conſul fuit A. V. C. IIII. (5); ideoque legendum puto, Publico Datiano, & Cipiano LOCVM. MONVMENTI. CONCEDENTIBVS, quod mihi literæ ipſæ ſuadent, ſive inſequens monogramma, quod ut ibi jacet, tranſcripſi, nempe $\overset{c}{M}$; certe non aliter legendum quam LOCVM. idque ex eo tum mihi potiſſimum ſtatui, quia Conſulibus, literis interpunctatis ſcribitur COSS., non autem CON., prout in lapide habemus (6).

(1) *Front. Stratag. L. 3. Cap. 6.*
(2) *Goltz. Faſt. Conſul. Part. 1.*
(3) *Miſcell. fol. 9. L. E.*
(4) *Plautarch. in Vit. Syllæ.*
(5) *Janſon. Faſt. Conſul.*
(6) *Vide Inſt. Lapid. Zaccariæ Edit. a Monaldin.*

Hanc Inſcriptionem refert Orlandus, in ſuo de Urbibus Italiæ Opere, mihi humaniſſime mutuato ab Excellentiſſimo D. Julio Imperiale, Faggiani Principe Optimo, S. Angeli Lombardorum Principis Filio, quique mei præſidium, & dulce decus eſt; at in relato Codice male tranſcriptam ipſam inveni: nam in primo verſu Orlandus legit COR., ubi COI., in quarto verſu literas S. P. ſic habet ſejunctas, at in lapide ſimul cohærent, nempe SP.: id eſt ſepulti & in ultimo verſu ſcribit D. AELIANO. ET. CIRINO. COSS.; quos non ſolum Conſules nunquam fuiſſe habemus ex Faſtis, exceptis Papirio Æliano, & Æmilio Æliano (1); verum nec & in lapide de illis verbum ullum; ubi, ut dixi CON. legitur, non autem COSS.: ſed Viro Clariſſimo parcendum; ſcripſit enim in fide minus accurati relatoris, ex cujus teſtimonio, Mephitim Anxanti, novo prorſus vocabulo, Ipſe appellat *La Moſetta d' Arganto*: Arcem Longobardorum firmiſſimam dicit Palatium Principale Civitatis ejuſdem, & quidem recte, ſed Poppii ſepulcralem lapidem nec memoratur; ſive quod ei Relator ipſum reticuerit, ſive potius quia male tranſcriptum viderit, appoſite rejecerit (2).

XXIII. Et ad Lacum Mephiticum redeuntes, jam ſupra notavimus, maceries ſepulcrorum in ejus planitie contineri, ibique cum ab acidis mineralibus lapides omnino ſint exæſi, nullam adhuc ſuperſtitem Inſcriptionem inveni; at per loca adjacentia, circa ejus ambitum, nonnullæ perlegendæ occurrunt; duas ad parietes Divæ Felicitatis Martiris inveni: Ædicula iſthæc diſtat a Lacu, ad eſt ſud eſt, paſſus circiter centum: Inſcriptiones autem ſunt inſequentes.

D. M.

(1) *Janſen. in Faſt. Coſſ.*
(2) *Orland. de Urbib. L. A. in S. Angelo Lombardi.*

D. M.
AELIAE. CRESCENTIANAE.
CORNELIVS. RESTVTVS.
COYVGI. B. M. P.

Menſio fit in lapide de notiſſimis Æliorum, & Corneliorum Romanis Familiis: at id tantum in Iſcriptione notatum velim, quod ſcilicet Litera illa Y. ultimi verſus, valet pro N. & I.: quod & in alio lapide in eodem loco reperto, modo eodem uſurpatum inveni.

D. M.
IVLIE. FELICISSIME.: Sic
VETTIVS. QVINQVEN
NVS. COYVGI. B. M.

In ejuſdem Ædiculæ parietibus inſequentem, & aliam inveni inſcriptionem.

D. M.
C. SPEDI. FELICIS
SPEDIA. MAXIMINA.
PATRONO. B. M. F.

Fruſtas alterius inſcripti lapidis inferius referam; Cujuſdam Ebinii modo inſcriptionem edam, quin imo reſtituam

. . . . . IVS. SEVERVS.
CONSERVATORI. SVO.
EBINIO. BENEMERENTI. F.

Lapis, qui ſupraſcriptam portendebat inſcriptionem, erat Baſis, cui inererat buſtum lapideum relati Ebinii; at fundi ruſticus dominus in partes anfractum, ad ſui ruralem conſtruendam domum tranſtulit: Ego autem cum denuo de lapide eodem inquirerem, ipſo dolens frauda-

tus, bustum illud lapideum, licet temporis injuria exæsum, mecum trasportandum curavi, & ne de ipso memoria deperiret, titulum restitutum in lucem edidi.

§. XXIV. Nonnullos & alios reticemus lapides familiares, nihil enim in ipsis notatu quod præcipue dignum sit, invenio. Referam tamen tegulas quasdam cretaceas sepulcrales inscriptas, quasque in Tabula IV. prout sunt, signatas habes, ipsasque numeribus dispertitas; sic Numero I. mentio fit Henecratis Augusti Liberti; Numero II. Apnecratis Augusti Liberti; Numero III. Caji Ejonii Maximi; Numero IV. Lucii Balbi, bis in Tegula eodem nomine & prænomine repetito. Numero V. & VI. Tegulam aliam græce inscriptam habes sic κ9Υ, κ9Υ; quam Ego legerem κρυβεις, hoc est Absconditus, sive sepultus; vel potius κρυψις, h. e. Occultatio, sive locus sepulcri: Quod si mavis legere cum litera κ, non autem χ (sed χ quidem est), literis inversis legerem Υρχ, sive Υρχη, h. e. Vas fictile, quasi ibi vasa fictilia construerentur; quippe locus ubi tegula fuit reperta, cretaceus est, non longe dissitus a Lacu, ubi tegularum infractarum frusta abundant, ac proinde crederem, Tegulam istam fuisse Notam, seu Tesseram Officinæ Tegulariæ, sive Vasium fictilium, ibi existentis. In Numero VII. frustum Vasis fictilis habes, ubi inscriptum Cneus. Antestius Eros. Et in Numero VIII. habes & alterum, ubi literis inter se junctis legitur, ut opinor Clehomenes. Quinti. Filius. Præter quæ in principio Tabulæ insculptum habes fundum Vasis, cum effigie Viri galeati, & literis DAM. RLLI., quas legerem *Damnium Relligiosum*, sive Vas illud sacrificulum, seu pateram, quæ supponebatur Victimæ ad sanguinem excipiendum, dum mactabatur; de quo cecinit Poæta:

Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris (1) . . . .

Jam

(1) *Virgil. VI. Æneid. Vers.* 247.

Jam enim patera isthæc damnium quoque dicebatur (1).

Præterea nonnulli Annuli obsignatorii ænei, in Locis istis reperti eduntur, & literis iisdem inversis in eadem tabula habes; quos hic ordine eodem numerico singuli exponuntur. Sic numero IX. Socrates; N. X. Marcus Ulpius Larcus; N. XI. Quintus Ofilius Epaphrodites; N. XII. Quintus Florius. Chresimius; N. XIII. Vitus. Blassius; N. XIV. explicarem Municipium Populi. Romani; N. XV. Cneus. Tiginius. Quietus; N. XVI. Valerius. Apilianus; N. XVII. Marcus. Sicilus. Cajus. Cicerrius; N. XVIII. Cajus. Decius. Fisci. Frumentarius, sive Cajus. Decius. Fabii. Filius., & N. XIX. IESV. NAZARENO. DEO., qui quidem omnes penes me, in meo Museulo, asservantur.

Cur autem in locis istis tot Romanæ Familiæ incoluerint, de quibus, sive in Lapidibus, sive in signis antedictis mentio occurrit: illarum licet nonnullæ credi debeant Samniticæ; quippe Cæsiorum, Spediorum, Crescentiorum, & Socraticorum eruditissimus Episcopus de Vita familias, in suo Tesauro Antiquitatum Beneventi diserte meminit (2); sicut & Ofiliam Campanam familiam fuisse, ex Livio colligimus (3); id factum dicam, sive in Coloniarum diversis deductionibus, sive post factam agrorum inter Cives divisionem, quin imo coniicere ex hoc auderem, post captam per diversas familias Locorum possessionem, Locis ipsis ex Familiis iisdem, antiqua deleta denominatione, nomen peculiare inditum; Sic quam vulgo Terram nobis conterminam dicunt *Villamaina*, forsan credi potest, quod olim dicebatur *Villa mania*, a Manio Curio Dentato Consule, qui forsan ipsam cepit, & *Villam Maniam* dixit, deleto nomine Formulani, ut prius appellabatur; Civitas nunc dicta *Mons Maranus*, credidit Vir non vulgaris eruditionis, quod olim

(1) *Joseph. Laurent. pag.* 258.
(2) *De Vita Antiquit. Benevent.*
(3) *Liv. Lib.* 9. *Cap.* 7.

olim dicebatur *Mons Marianus*: (1) Et ego dicerem a gente *Maria*, quæ Locum possidebat, sive quia Loci habitatores pro Mario, contra Sillam steterint. Habemus & Locum in Territorio Guardiæ Lombardorum, quem dicunt La *Pietra Anfrania*: An si locus ille fuerit aliquando a gente Afrania possessus? Et locus alter in Territorio nobis contermino S. Angeli Lombardorum dicitur *Manlii Picus*, & inter montes Picus quidem est; dicerem illum a Gente Manlia possessum. Porro, in finitima Lucania, Villam habemus *Lucullianam*, quæ vulgo dicitur *Lo Cogliano*; forsan a Lucullo ita dictam; habemus & Civitatem *Murum*, ita dictam vel quia possessam, aut subactam a Consule P. *Decio Mure*, & in Hirpinis Oppidum Lo *Cossano*, dicerem dictam a gente *Cossa*; Oppidum *Clusianum*, vulgo *Chiusano*, a gente Clusia; Civitatem nunc appellatam *Arianum*, quæ prius dicebatur *Equotuticus*, ita dictam a gente *Arria*; Oppidum *Lapium*, a gente *Apiliana*, cujus annulum obsignatorium supra retulimus; Vicum vulgo appellatum *Dente cano*, forsan a Dentato Consule, cujus, in loco illo, cantata fuit victoria; ut cæteras prætermittam; qui quidem in rebus vetustis conjiciendi modus plausibilior mihi videtur, quam super Locorum etimologiis perpetuas texere nenias; apud Græcos scilicet, vel apud Fenices talem, vel alteram denominationem exquirere, quod etsi aliquando improbandum non sit; de omnibus tamen sic judicare, & operosa, & incerta res est. Quantas & quales inquisitiones non videmus factas ab eruditis cur Civitas sub Monte Vesuvio dicatur *Summa*; multa quidem opinarunt, & scripserunt: at si satisfecerint publico, nec ne, eruditus judicet Vetrani, qui eos cum Flacco ridet (2). Et sane dum ex rebus simplicibus conjiciendi modus exibetur,

(1) *Eleuter. Albergon. in Connex. Evangel. Quadrages. & Psalm.*
(2) *Vide Vetran. in Prodrom. Vesuvian. Cap. 1.*

tur, abſtinendum omnino eſt ab opinationibus, etſi eruditionibus refertis, atque abundantibus: Et profecto, *Summam* conjicerem Ego dictam, quaſi *Terminum*, ſive Finem inter agrum Nolanum, & Neapolitanum, juxta diviſionem a Q. Fabio Labeone factam, ex S. C. Anno V. C. DLXX. (1); ea ductns potiſsimum ratione, quia fines ducebantur inter cætera, *ex ſummis Montium jugis*, ut loquitur Flaccus relatus a Sigonio (2): Ideoque ipſam crederem dictam Summam, & mons ejus Mons Summanus, ſive mons terminalis (3); Licet non negaverim nonnullorum Locorum denominationes, neceſſario expetendas, vel ex effectibus naturalibus Locorum ipſorum præcipuis, vel ex factis hiſtoricis, quorum eventus Majores noſtri, indita denominatione, memoriæ poſterum appoſite commendarunt, quod perſpicuum quidem eſt.

§. XXV. Et ulterius progredientes; jam diximus §. 2. Libri 1., duas vias ducere ad Metitim, Appiam ſcilicet, & Domitiam quas delineatas habes Tab. II. N. XI. & XII.: Viarum iſtarum omnes Rerum Romanarum Scriptores, nec non antiqui, & recentes Geographi meminerunt: extatque Itinerarium Antonini, in quibus continuationes, & milliaria de loco ad locum deſcribuntur: Noviſſime vero Vir Cl. Canonicus Pratilli accuratam de Via Appia edidit deſcriptionem, licet nonnulla, animadverſione digna, Jeſualdus in ejus opere carpſerit, quod cæteroquin omnibus Scriptoribus rerum antiquarum neceſſario evenire debere fatendum eſt: At quidquid Jeſualdus edixerit, certe Pratillus, omni qua potuit induſtria, de Via Appia ſermocinatus eſt: Hanc deſcribens a Quinto decimo (Urbe Æclano ab Ipſo credita), per Caſtra Fontis Roſæ, & Jeſualdi, prope Frequentum, ducentem ad Romuleam, ſolam Itinerariorum ſequitur auctoritatem, nec ullum præ oculis habuit

(1) *Cic. de Offic. Lib. 1.: Val. Max. Lib. III.*
(2) *Carol. Sigon. de Rep. Coloniar. Cap. IV.*
(3) *Vid. Carol. Franchi. diſſ. pro Civit. Neap. Cum Averſanos:*

buit lapidem, five aliud monumentum ad rem firmandam: Tres ego lapides edam de Via Appia fignanter ftatuentes, nuper repertos, quique penes me affervantur.

§. XXVI. In Civitate Frequenti nonnullæ adhuc extant Infcriptiones, & fignanter in parietibus antiquæ Ecclefiæ S. Marciani; ipfæque partim anfractæ, & partim in illius parietibus confepultæ, quarum literæ quædam contemplandæ vix exibentur, non autem legendæ; una tantum excepta quæ hæc habet

. . . . . BOVIVS. N.
ET. M. L. HILARUS.
MAC. AVG.
VIAM. STRAVIT
LONG. P. LVII.
D. D.

& altera in Platea Civitatis ejufdem, & ipfa quoque collifa, tantumque legitur

ANTISTYVS.
ISOCRYSVS
ARCHITECT.

Has appofite Ego retuli, quia prima, ut præfertur, Magiftrum Auguftalem meminit Bovium, ipfumque Viam fternentem; & altera Architectum ædificiorum forfan, vel etiam viarum; relicta fepulcrali infcriptione, quæ in latere dextro habetur Portæ Catedralis ejufdem, quia nihil in ipfa novum, aut ad rem faciens, de qua differimus inveni: Nec infcriptiones relatas a Pratillo in Civitate præfata, a CLAVDIO. OFFELLIO. pofitam MERCVRIO; & alteram CEPIDIVM. NICERIVM (1). memorantem, invenire potui etfi de illis diligenter inquifivif-
fem;

(1) *Pratill. de Via App. L. 4. Cap. 4.*

ſem : Porro in parietibus antedictæ Eccleſiæ Divi Marciani nonnulli obſervantur lapides numeris tantummodo diſtincti, certe Viarum diſtantias portendentes, & ad Viam Appiam, ſive etiam Domitiam ſpectantes, ut inferius dicemus: At inſignem inſequentem Lapidem, mihi comunicatum a R. D. Carmelo Paſcucci, Canonico Primicerio Catedralis ejuſdem, quem ipſe in ejus domo vidi, ſemel, atque iterum legi, atque in lucem edere operæ prætium exiſtimavi.

C. TREBIVS. C. F.
CAI. NEPOS. IVR.
IVR. D. O.
SI. N. I. T. A.BI. F. C. P.
N. A.
QVA. F. S. A. . . . . . .
D. Q. I. OVAT.
P. T.

Et priuſquam de ſubjecto inſcriptionis, & illuſtrationis ejus dicam; ipſam ita in ſuis interpunctionibus legerem: *Cajus. Trebius. Cai. Filius. Cai. Nepos. Juridici. Juridicundo. Signum.* ſive *Simulacrum. Novum. In. Templo. Anubi. Fecit. Cum. Pecunia. Numerata. Quæ. Fuit. Sibi. Adſignata*, ſive *Adjudicata. Dante. Quæſtore. In. Ovatione. Poſuit. Titulum.* Ipſam eruditiores melius legant: Dum Ego de ſubjecto illuſtrationis ejus dicam: Inſigne, Lapis iſte, Familiæ Trebiorum eſt Monumentum; quippe ex quo reſcimus Cajum Jureconſultum præclariſſimum, dictum in lapide *Juridicum Juridicundo*, ex Familia Trebiorum fuiſſe. Caji uſque adhuc prænomen innotuit tantum; at Nomen ejus penitus

tus ignorabatur, & Familia (1):

Floruit Cajus *Pii Antonini*, *ſive Hadriani temporibus*, ut ſcribit Cujacius (2); *Sub Hadriano, & Marco, nempe Aurelio*, ut ait Vinnius (3); *Hadriano, atque Antonino Pio juniore*, ex Cyrilli ſententia (4). Autumavit Cujacius, Cajum fuiſſe ex Familia Caſſiorum: *niſi & hic quoque*, verba ſunt Cujacii, *ex Caſſiorum familia fuit* (5); Sed cur ita judicaverit cauſſam adducit nullam. De Trebiorum igitur familia fuiſſe Cajum, ex relato lapide conjici poteſt. Cur autem Tribonianus, Caji commentaria memorans, ipſum dicat *Cajum noſtrum* (6); *ob benevolentiæ ſignificationem*, ait Vinnius (7); *quia eo auctore præcipue uſus ſit*, inquit Cujacius (8). At Ego opinarem, Tribonianum, licet natione græcum, auctore Procopio, (9) oriundum forſan fuiſſe ab Urbe, & a gente Trebia, a qua dictus fuit Trebonianus; pari modo, quo a Claudia gente Claudianus, ab Ælia, Ælianus &c. (10). Tribonianus igitur, ut generis ſui originem a Cajo Trebio indigitaret, *Cajum noſtrum*, peculiari affectionis vocabulo dicit: Cæterum an gens Romanorum Trebia, oriunda fuerit a Trebio Compſano cive, quem Livius meminit (11), pro certo ſtatuere non audeo; licet non improbabiliter id autumari poſſit.

§. XXVII.

(1) *Zaccaria. Edent. Monaldin. Inſtit. Lapid. p. 65. L. 2. C. 1. §. 1.*

(2) *Cujac. in Proœm. Inſtit. Juſtinian. §. VI.*

(3) *Vinn. in Proœm. Inſtit. Juſtinian. §. VI.*

(4) *Joſeph. Paſcalis Cyrillus ſup. Inſt. Juſtinian. in princ. Hiſtor. Jur. Rom. §. Celebriores.*

(5) *Cujac. in loco ut ſupra.*

(6) *Tribonian. in Proœm. Inſtit. Juſtinian. §. 6., & Leg. 4. Tit. 18. §. 5., & in Orat. ad Antoceſſ.*

(7) *Vinn. Ibid. ut ſup.*

(8) *Cujac. ibid.*

(9) *Procop. Lib. 1. de Bell. Perſ. Cap. 24.*

(10) *Wailſant. in gente Claudia fol. 284.*

(11) *Liv. Lib. 23. Cap. 1.*

§. XXVII. Sed e diverticulo ut in Viam vere redeamus; jam diximus Canonicum Pratilli nullum antiquum lapidem edidisse, describentem Viam Appiam a Quinto decimo ad Romuleam, quam vulgo nunc dicunt *Bisaccia*: Ego Cippum nobilissimum edam, qui penes me asservatur, nuper repertum in Territorio Patriæ meæ, in loco ubi dicitur *Costa Diana*, qui parum distat a Mephitico Lacu ad orientem; ibique non longe Via Neapolitana, seu Domitia, jungitur cum Via Beneventana, seu Appia, quam vulgo nunc dicunt la *Strada*: Cippus autem, prout præfertur videre est.

ᶜLƆI CI | NIOL F. F.

M. FOLVIVS. M. F. FLAC.
C. SEMPRONIVS. T. F. GRAC.
C. ΠΑΠERIVS. C. F. CARB.
III. VIR. E. A. I. A.

Quatuor Romanarum perillustrium Familiarum, in Cippo mentio occurrit, Liciniæ, Fulviæ, Somproniæ, & Papiriæ.

Et gentem Liciniam plebejam fuisse, sed claram, & Consularem; rerum Romanarum Scriptores nos edocent: ipsamque diversis cognominibus distinctam, nempe *Sura*, *Crassa*, *Luculla*, *Macra*, *Murena*, *Nerva*, *Stolone* (1).

Gentem Fulviam a Tusculo oriundam, plebejam quidem, sed multis auctam honoribus Cicero testatur (2): In tres familias cognominibus discretas, ipsa divisa est; Nam *Pœtini*, & *Nobiliores* primam; *Centumali* secun-

(1) *Waillant in Numm. Famil.: Luciliuf. Ant. Augustin.*
(2) *Cic. Philippic. 3.*

dari; & tertiam obtinent *Flacci*, de quibus mentio in lapide fit.

Sempronia gens fuit Patricia, poſtea ad plebem traducta, Plebeja facta. Ex diverſis cognominibus, diverſas quoque familias agnoſcimus; *Atratinam* nempe, *Blæſam*, *Longam*, *Sopham*, *Tuditanam*, & *Graccam*, de qua hic dicemus (1).

Gens Papiria altera fuit Patricia, licet minorum gentium, ut Cicero ad Pætum loquitur (2) (quos nempe poſt Romulum in Senatum Tarquinius Priſcus adlegerat (3)), quæ Papiſia dicebatur; cujus cognomina *Mugillanum*, *Craſſum*, *Curſorem*, & *Maſſonem* idem Cicero ibidem meminit: Altera fuit Plebeja, & ex ejuſdem Ciceronis judicio contemnenda, cujus cognomina ſcimus fuiſſe *Turdum*, & *Carbonem*, de qua in propoſito Cippo inſcriptio legitur.

Graccorum hiſtoriam, inter Romanarum rerum ſcriptores, vix eſt qui reticeat: hic tantummodo ad Cippum relatum pertinentia attingam. Et Tiberius quidem Graccus Filius Tiberii, Viri Conſularis, & Corneliæ, Scipionis Africani Filiæ, Tribunus fuit Patribus infenſus, ob fædus Numantinum diſſolutum (4); is cum legem Liciniam renovandam populo retuliſſet, adverſus voluntatem Senatus, & ordinis Equeſtri, ne quis ex Agro publico pluſquam decem jugera poſſideret, quod Plebiſcito ſancitum fuit; ſeipſum, Cajum Graccum, fratrem germanum, & Appium Claudium, ſocerum ſuum, Triumviros agri dividundi eligendos curavit, totamque Italiam pro cauſſa diviſionis hujuſmodi, integra æſtate peragrarunt (5). At Tiberio a Publio Naſica interempto, conjurantibus ſimul Publio Saturea, & Rubrio Collegis, ſive Rufo, ut ſcri-

(1) *Plin. Plutarch. Cic.*

(2) *Cic. Ep. Famil. L. 9. Ep. 21.*

(3) *Liv. L. 35.*

(4) *Flor. in Liv. Dec. 14. Lib. 58.*

(5) *Plutarch. in Gracc.*

ſcribit Plutarchus (1); Populus, in ejus Triumviratus locum, ſuffecit Publium Licinium Craſſum (2), de quo in capite Cippi fit mentio, ut mox dicemus.

At quoniam Publius Licinius ibi non appellatur Triumvir, & de Appio Claudio reticetur omnino; de Lapidis genuina antiquitate, haud perperam dubitabam: verum enim vero, cum de Iſtorum Triumviratu, ex Floro liquido conſtet: *Seditiones a Triumviris Fulvio Flacco, Cajo Gracco, & Cajo Carbone de agro dividundo creatis excitata* (3), quos & Triumviros vere fuiſſe Plutarcus meminit (4); idcirco autumarem, Appio Claudio vita functo, gravis enim tunc erat annis, quippe qui jampridem Conſul fuerat cum Cajo Metello, & dum Triumvir fuit creatus, Princeps erat Senatus (5); & Craſſo ad Conſulatum evecto (6); Marcum Fulvium virum Conſularem (7), & Papirium Carbonem, olim qui Plebis fuerat Tribunus (8), ipſis ſubſtitutos; utroſque Patribus infenſos, qui pro Plebe & pro Lege Sempronia, ad ſcelera uſque contendebant: Hi enim Scipionem Africanum, Publii Æmilli Filium, qui Patrum tuebatur partes, propinato per Semproniam, uxorem ejus, veneno, enecarunt (9); finitimos Italiæ populos ad defectionem concitarunt, ipſoſque tandem, Fulvio edicente, Civitate donarunt (10).

Cajus igitur Sempronius Graccus, Fratre Tiberio in-

(1) *Idem in Gracc.: Hiſt. Univerſ. Vol.* 4. *Fol.* 5040.
(2) *Flor. Epit. Liv. L.* 59. *Fol. mihi* 356.
(3) *Flor. ibid.*
(4) *Plutarc. in Gracc.*
(5) *Hiſt. Univerſ. Vol.* 4. *fol.* 5051.
(6) *Hiſt. Univerſ. Vol.* 4. *fol.* 5095.
(7) *Eod. Vol.* 4. *fol.* 5019.
(8) *Eod. vol.* 4. *fol.* 5096.
(9) *Cic. Ep. Famil. L.* 2. *Ep.* 2.: *Appian. de Bello. Civil. Lib.* 1.: *Plutharc. in Romul. & in Grac.*
(10) *Hiſt. Univerſ. Vol.* 4. *Fol.* 5110.

interempto, omisso foro, se in otium dedit, Patrum certe potentiam veritus; sive ut Illis invidiam Plebis accumularet: at vitam privatam agenti, omnesque Magistratus sedulo repudianti, scribit Cicero (cui credat Judæus apella non ego), Tiberium Fratrem in somnis visum dixisse: *Quid tardas Cai? nulla est fuga, sed ambobus unam vitam, & unam mortem pro Populo Romano certantibus fata statuerunt* (1). Ex quibus verbis commotus, in Forum rediit, & pro rostris quendam Vectium, sui amicissimum acerrime defendit: deinde Quæstor creatus, lubens, cum Lelio Aurelio Oreste Consule, in Sardiniam navigavit: Postmodum, Matre Cornelia reluctante, & post varios casus, Tribunus Plebis electus, Legem Liciniam tuendam enixe suscepit, aliaque permulta peregit, & illud præcipue circa viarum procurationem diligentissime se præbuit, tum utilitatis caussa, tum etiam ornatus, ut ait Plutarchus: *Rectis quidem regionibus vias deduxit ..... diverso præterea viarum spatio, singulis milliariis columnas lapideas, spatii signa præferentes constituit: Alios insuper lapides parum inter se distantes, ex utraque viarum parte disposuit, ut ex illis faciliter, & sine saltu in equis esset ascensus* (2). Ob hæc etsi Populo gratus: tandem secundi Tribunatus officio functus; tertio, Collegis ejus suffragia occultantibus, non fuit Tribunus confirmatus: quin imo cum Opimius Consul nonnullas Cai Leges abrogandas suscepisset, eodem die, quo de abrogatione ipsarum erat relaturus; Cajus, incitantibus amicis, & Marco Fulvio Flacco signanter, & Ipse, & Fulvius, contracta moltitudine, Consuli nova molienti, restituerunt: Imber eo die certamen suspendit; postridie vero certatum est: Fulvius, & duo ejus filii occisi; primus una cum Patre in balneo, quo se receperant, & natu minor alter, qui a Consule in carcere detinebatur, miserrime jugulatus

(1) *Cic. relat. a Pluthare. in Grac.*
(2) *Plutarc. in Gracc.*

tus; *Cajus autem*, ſcribit Plutarchus, *in Templum Dianæ ſe retulit, manuſque ſibi ipſi afferre cum vellet, a Licinio, & Pomponio, fidiſſimis Familiaribus ſuis, prohibetur: Hi namque præſentes gladium ademerunt, & ad fugam cohortati ſunt ....; Reliqui autem cuncti ipſum deſeruerant .... Fugientem Cajum adverſarii proſequuti, cum juxta pontem ligneum jam aſſequerentur; Familiares duo, quos ſupra memoravi, illum procedere, ac maturare fugam jubent; ipſi vero in ponte ipſo, ruentibus adverſariis ſe objicientes, non prius quemquam tranſire permiſerunt, quam ipſi pugnantes occiſi ſunt. Cum Cajo ſervus unus aufugerat Philocrates: At cum univerſi certatim eum ad fugam hortarentur, nemo tamen auxilium præſtaret, nec petenti equum quiſquam concederet, & jam adverſarii adeſſent, præripit ille ſe in Sacrum Deorum Nemus, ibique occiditur per manus Philocratis, qui primo dominum; deinde ſe peremit .... Caput Gracchi tradunt abſciſſum primo ab alio, deinde ab amico quodam Opimii, Septimulejo nominis per vim ablatum: Nam promiſſum erat in principio pugnæ, ut qui Caji, & Fulvii Capita referret, æquum auri pondus ex publico acciperet: Relatum eſt a Septimulejo pilo transfixum; ſtateræ deinde impoſitum, librarum decem, & ſeptem, ac dimidio pondus traxit, Septimulejo improbe machinato, nam detracto cerebro, plumbum infuderat: Qui vero Fulvii caput retulerunt (erant namque ex tenuioribus,) nihil omnino reportarunt. Corpora Caji, & Fulvii in Tiberim projecta, bonaque eorum publicata* (1).

Licinius itaque inter certandum occubuit: Fulvius in Balneo obtruncatus, & Cajus Graccus a Servo enecatus. Nec Carbonis diſpar fuit exitus, teſte Tullio: *Cajus, accuſante Lucio Craſſo, cantaridas ſumpſiſſe dicitur: Is & Tribunus Plebis ſeditioſus, & Publio Africano vim attuliſſe exiſtimatus* (2), *habuitque hic Fratres Cn. Carbo-*

(1) *Plutarc. in Gracc.*
(2) *Cic. L. 2. Ep. ad Famil. Ep. 21.*

bonem, qui a Pompejo occisus; Marcum Carbonem, qui accusante Publio Flacco, fur magnus a Sicilia condemnatus est (1): O vere mobilium turba Quiritium (2).

An iste Licinius ille fuerit, de quo in capite Cippi sit mentio, pro certo asserere non audeo: At oppinando dicerem, & Vettium Quinquennum §. 21. supra relatum, & de quo inferius alia subnectemus, illum fuisse, cujus caussam Graccus defenderat, ipsoque, ejus amicissimo usum, pro operibus publicis; parique modo, & Licinio, qui usque ad necem pro Gracco stetit; nisi ex dictis superius colligere malis, Licinium de quo in Cippo, illum fuisse, qui Triumvir Agris dividundis, post Tiberii necem, fuit suffectus; postea ad Consulatum evectus, una cum Triumviris M. Fulvio, C. Gracco, & C. Papirio, vias procuravit; ideoque literas in Capite Cippi legerem.


(CLↃI. | CL. | NIOL | FF.)

Pubio Licinio Crasso, sive Consule Procurante Fecerunt. Scio literas numerales quoque esse siglas illas, seu spatii signa præferentes, ut supra cum Plutharco notavimus, ideoque legendas, prout Notæ Numerales sunt; nempe CLↃI. Mille Passus LI.; viam metiendo a Neapoli ad Loca, ubbi Cippus positus fuit: dixi a Neapoli, nam ad viam Domitiam pertinere autumarem, quam debuit Graccus rectis regionibus deducere, & columnis Milliariis exornare: quippe via a Neapoli, per Nolam, Abellinum, Candidam, Locossanum, Villam Maniam, usque ad Patriam meam, absque saltibus difficilibus, rectis regionibus duci poterat; quam licet intersecet flumen Hirpinorum

(1) *Idem ibid.*
(2) *Horat. Odar. Lib. 1. Od. I.*

rum *Calor*, juxta Locoſſanum; ibi adhuc extat pons firmiſſimus, certe antiquitus conſtructus, ut per ſe cernentibus præfertur: Et ſive ad viam Domitiam, ſive ad Appiam referatur Columna iſthæc; literæ in ejus capite ita ſunt copulatæ, ut Milliaria ſimul; & ſub cujus Procuratione fuerit poſita demonſtrant.

§. XXVIII. Parum diſſita a loco, ubi ſupra relata Columna Milliaria ſita erat, fuit reperta & alia, & proprie in loco ex ditione Frequenti, ubi dicitur vulgo *le Sterpaje*; hæc quoque penes me aſſervatur, habetque tantum in vertice nomen Vettii ſic:



Hæc certe Viam Appiam indigitabat, ibi enim poſitam vidimus, ubi habemus Viam, quæ vulgo dicitur *La Strada Beneventana*: In Locis iſtis jungebantur Via Domitia, & Via Appia; Ex hoc lapide conjicerem non ſolum Viam Domitiam a Cajo exornatam, atque munitam; verum etiam, & Appiam ulterius a Capua, & a Benevento deductam, quod & ex ſupra relatis Plutharchi verbis evincitur, *Rectis quidem regionibus Vias deduxit* (1); quibus in operibus Vettio uſus fuit, quem diximus ſibi amiciſſimum, & forſan illum fuiſſe, a C. Gracco defenſum, cujus agnomen *Quinquennum* ex Lapide §. 21. hujus libri reſcimus. Cæterum Vettia, ſive Vectia Familia a Sabinis oriunda, poſtmodum inter Romanas adſcita, præclaris Reipublicæ honoribus fuit decorata (2); ac proinde Vettiorum lapides frequentiſſimi (3).


K §. XXIX.

(1) *Plutharc. in Grac.*
(2) *Waillant. Num. Famil.: Cic. in Orat. pro Flac.*
(3) *Reineſ. Pag.* 93.: 450.: 480.: 688.: 851. *&c. &c.*

§. XXIX. Porro in antedicta Divæ Felicitis Ædicula, lapidis frusta inscripta collegi, unam certe eandemque inscriptionem, quæ continebant; lapis enim idem est, & caracteres inter se sunt similes: in majoris molis frusto, hæc habentur

P. MINATIVS
SILVINVS
..... TVLAC
..... IDΛΔ.....

& in altero æque colliso, in parte ejus superiori, hæc habentur



Jam Marcum Allium credi debet fuisse de gente Allia, quæ dicta fuit Ailia, & postmodum Ælia (1); sicut & Publius Minatius de gente Minatia, de quibus erudite Waillantius (2). An vero Minatius hic fuerit ille Civis Æclanensis, Vellei Paterculi Atavus, qui *cum Silla Dictatore, legione in Hirpinis collecta Compsam cepit, Erculaneum, & Pompejanum destruxit* (3); & an si in hoc lapide de tali expeditione loquatur, sub iudice lis erit, donec relati lapidis partes reliquæ inveniantur.

§. XXX. Ego tantum subnecterem, Roccam S. Felicis, Patriam meam, ibi olim fuisse ædificatam, ubi ad præsens præfata Divæ Felicitatis Ædicula veneratur, dictamque tunc temporis Æclanum, quæ Hirpinorum Urbs

(1) *Waillant. in Fam. Aelia.*
(2) *Waill. in Famil Minatia.*
(3) *Frontin. de Colon. P. 126.: Appian. L. 1. de Bell. Civil. P. 643.*

Urbs fuit celeberrima (1), extantque ejus magnificentiæ etiam nunc disjecta, per loca ista, fastigia; & signanter pavimentum antiqui Balnei; & locus vulgo appellitatur *Bagno*; ibi fons aquæ dulcis, cujus ductus arte perpolita firmiter constructus, etiam nunc admiratur: & Fons ipse vulgo dicitur *Fontana del Bagno*. Cryptæ artefactæ excavantur ibi, & per loca circumjacentia, antiquæ Urbis cloacæ, sive aquarum conservæ. Nuper in ambitu eodem effossam contemplavimus partem viæ constructam, minutis inter se contextis lapidibus calcareis, dicam potius lapillis, modo eodem, quo dicimus *alla Musaica*; & locus ille vulgo dicitur *la Stradella*; quam credidi fuisse pavimentum magnifici alicujus ædificii, quia in loco eodem lapides scalpti continuo excavantur, certe ad ædificia olim accomodati; nec in girum, ædificiorum continuata vestigia desiderantur, sive inter rudera parietes consumpti: Loca quædam etiam nunc retinent pristinas Sacrorum Templorum, sive Nemorum denominationes: Sic ubi Feronia inepte colebatur, dicitur nunc la *Ferrera*, ibique consumpta mœnia adhuc contemplantur: Ubi Lucum Dianæ, modo dicunt vulgo *Costa Diana*: nec procul a loco isto, plumbei aquæducti excavati: Præterea id mihi suadent adducti superius lapides, & signa tot illustrium Familiarum, necnon, & tegulæ sepulcrales: quin imo, dum hæc scribebam effossus fuit lapis, in quo insculpta admiratur Aquila, alis expansis, signum certissimum Coloniæ Romanorum, at collisus lapis est, & absque ulla inscriptione: Porro ex Cicerone rescimus, Ipsum Mephitim Anxanti vidisse; *ut & Anxanti in Hirpinis, & Plutonia in Asia, quæ vidimus* (2): At ipsam vidit, dum Brundusium perrexit: in hac expeditione per

 Pom-

(1) *Ciarlant. Histor. Samnii Lib. 1. Cap. 21.: Pratill. Via. App. Lib. 4. Cap. 4.*

(2) *Cic. de Divinat. Lib. 1.*

Pompejanum affirmat Attico, se *Æclanum* venturum (1) dicendum igitur est, Ciceronem, quoniam per *Pompejanum* venit, quæ in via Domitia, sive Nolana erat, viam Domitiam tunc excurrisse, non autem Appiam; quæ per Capuam, & Beneventum ducebat Brundusium; & in qua viam contendunt Cosmographi, Æclanum fuisse, quæ ibi nunquam fuit, ut mox dicemus: Accedit ad hæc, quod *Æclanensis Civitatis* a nobis designatus locus, omnibus Hirpinorum Locis amænissimus est; quippe planitiem non modicam habet; medius inter Vias Appiam, & Domitiam, totam prospiciens Vallem Beneventanam, & juges colliculos Abellinum usque, habens ad meridiem prospectum Montium Montellæ, Acerni, & Syrini; ad occasum Montis Matris Magnæ, quem nos merito *Montem Virginis* nuncupamus: Aër ejus temperatus, & saluberrimus: Nam etsi in Locis juxta Lacum immediate aër sit respirantibus, ad necem usque infestus, in certa tamen distantia, prout in Loco de quo loquimur, salubris est, & præcipue vertigine laborantibus (2). Autumarem igitur, quod armis Romanorum deleta Æclano, sive potius a Terræmotibus disjecta, qui superfuere Cives super Pico lapideo firmissimo, arce constructa, quam habes Fig. IV. N. I., ipsam in girum, inter orientem, & meridiem, suas domos ædificarunt, ut in ead. Fig. N. II.: nisi malimus potius judicare, hanc Urbis Æclani olim arcem fuisse, quod evincerem ex Loci adhuc perdurante denominatione: vulgo enim *La Rocca* appellitatur; & re quidem vera Roccæ antiquæ, sive Arcis mirabilis, adhuc consumpta mænia, & Turris molis non spernendæ perdurant: Arcem hanc Franciscus Regalis restituit collapsam, ut ex lapide in aditu jam dictæ Turris colligitur, qui hæc habet. FRAN-

(1) *Cic. ad Attic. Lib. 16. Ep. 2.*

(2) *Leonard. de Capua in Tract. de Mephit.: Pratill. Via App. L. 4. Cap. 4. fol. 461.*

FRANCISCUS . BARO . RE
GALIS . REFECIT . A. 1603.

Cæterum Arcem iſtam celebrem reddidit Enricus , Friderici II. Imperatoris filius , qui A. D. 1236 in ipſa fuit , Patre imperante , detentus (1); quidquid de Terra , vulgo dicta *Santo Fele* , in Lucania , ſuper re iſta Antonini ſomniaverit (2) , rejiciendum .

§.XXXI. Scio Cluerium , *Æclanum* crediſſe , Civitatem *Frequentum* (3) ; ipſumque ſoquutum Camillum Peregrinum (4); quibus adverſatus Holſtenius, Ipſam credit fuiſſe juxta Civitatem Mirabellam (5) , & cum Holſtenio Patres Benedictini a S. Mauro (6) , & noviſſime , Pratillus (7) ; & Weſſellingius (8) . At Auctores præfati , ut ſuam quiſque tueretur ſententiam , antiqua Itineraria mendis ſcatere edixerunt : ac proinde ipſa corrigentes , certas de Locis ad Loca ſtatuerunt diſtantias ; quæ cæteroquin aliter in Itinerariis deſcriptæ inveniuntur : ſic laudatus Wiſſellingius Antonini Itinerarium commentans ſcribit :

A. Benevento Hydruntum M. P. CLV.
Eclano M. P. XV. (9)

ſed in adnotationibus ſubdit Sura : *Æclano M. P. XV.... Reliqua Exemplaria hoc itinere Eclano* M. P. XXV. *habent* (10) . Pari eodemque modo Itinerarium hoc mendoſum di-

(1) *Vid. Murator. Annal. Ital. An.* 1236. *Riccard. de S. Germ. in Chron.*
(2) *Joſeph. Antonin.*
(3) *Cluer. Ital. Antiq.*
(4) *Peregr. diſſ.* 2. *de ducat. Benevent.*
(5) *Holſten. in Ital. Ant. Cluer. p.* 273.
(6) *Vid. Pratill. fol.* 455. *in Via App.*
(7) *Id. Pratill. ibid.*
(8) *Wiſſell. Itiner. Antonin. p.* 120.
(9) *Wiſſelling. p.* 120.
(10) *Ibid. Sura .*

dicit Pratillus, ac proinde & ipse scribit M. P. XV., sic ad suas firmandas sententias Itineraria contorquentes (1).

§. XXXII. At ut inter præfatos scriptores, super antiquis Itinerariorum Exemplaribus quæstio finiatur, necesse est, ut *Eculanum*, ab *Eclano Urbe* distinguatur. Quippe de *Eculano Urbe* mentio occurrit apud Ptolomæum: *Hirpinorum Urbes sunt Eculanum*, *Abellinum* (2), ibi Ἀκȣλανον; Et apud Appianum: *Sulla Eculanum oppugnare cepit* (3); Cives *Eculanenses* meminit Plinius (4): præterea idem Pratillus refert lapidem, ubi... R. P. ECVLANEN. (5); At lapis a nobis supra §. XVII. relatus habet: COL. AECLANENSIS.; &: COL. AECLANENSIS: lapis alter refertur a Grutero (6); *Æclanum* Cicero meninit (7); ut reliquos prætermittam, Idcirco dicendum est, diversam fuisse *Urbem Eculanum* ab *Urbe Æclano*; ac proinde Urbem *Æclanum* fuisse olim, quæ nunc *Rocca S. Felicis*, Patria mea, nuncupatur, quæ vere distat a Benevento M. P. XXV., ut supra §. III. Libri I. notavimus; & *Eculanum* fuisse eam, quæ ab Holstenio prope Mirabellam indigitatur, quæque a Benevento distat M. P. XV.; ex quo *Quintodecimum* ipsam recte appellitarunt (8). Ideoque dicendum: si legas in Itenariis,

ECVLANO. M. P. XV.

dic, *Quintodecimum* prope Mirabellam, designatam; si legas,

ECLANO M. P. XXV.

dic indicatam *Æclanum*, Patriam meam, ubi Via Domitia, cum Via Appia jungebantur. Quod si infirma aliquibus videantur adducta argumenta ad evincendum de Ur-

(1) *Pratill. Via App. Lib.* 4. *Cap.* 4. *fol.* 454.
(2) *Ptolom. Lib.* 3. *Tab.* 6.
(3) *Appian. Lib.* 1. *de Bello Civil.*
(4) *Plin. Lib.* 3. *Cap.* 11.
(5) *Pratill. fol.* 455. *Via App.*
(6) *Gruter. fol.* 446.
(7) *Cic. ad Attic. sup. cit.*
(8) *Pratill. Via App.*

Urbis Æclanensis antiquo situ; velim meminerint, quod si Samnium in ipso Samnio requiritur, nec inveniri possit, ut loquitur Historicus, cui Titulus Miscellæ, supra a nobis relatus, quid mirum, si de *Æclano* Urbe disputetur.

LIBER III.

§. I.

AB antedictis observationibus, qualescunque illæ sint, expediti, instituti ratio postulat, ut de Relligioso cultu Mephiti insano Deo olim tributo, aliqua, ut præmisi, subnectam. Et Mephitim Deam, sive Deum inepte creditum fuisse, ex Templis in ejus honorem erectis, & superstitioso cultu ei præstito, luculenter evincitur; *quod cæteroquin vitioso more effectum*, Cicero, etsi gentilis, testatur (1): Majores enim nostri non solum bonos, quos sibi effinxerunt, Deos coluere, sed etiam quos malos & esse, & posse Hominibus mala inferre crediderunt: *Sicut prosperis Diis*; verba sunt Servii; *ut juvent, ita adversis, ne obsint sacrificandum est*; (2) quem ritum Cicero ridens ajebat: *Qui tantus error fuit, ut perniciosis etiam rebus, non modo nomen Deorum tribueretur, sed etiam Sacra constituerentur: Febris enim Fanum in Palatio, & Orbonæ ad ædem Larum, & aram Malæ Fortunæ Exquiliis consecratam videmus* (3).

Et re quidem vera jam supra monuimus, Vulcanos, Charoneasque Scrobes, portas Inferi ab Etnicis creditas; ideoque ut Deos infernales sibi propritios redderent, Loca istiusmodi, tanquam sancta coluere, ibique præcipue inferias Manibus dabant.

§.II. Et ex hoc intelligi potest, cur antiqui Christiani per-

(1) *Cic. ad Tuscul. Lib.* 1. *Cap.* 13.
(2) *Serv. sup. Æneid. Virgil. Lib.* 4. *Vers.* 58.
(3) *Cic. de Natur. Deor. Lib.* 3. *Cap.* 25.

pertinaciter tenuerint, Vulcanos vere cum inferis communicare; quod eo usque precessit, ut Sanctissimi inter ipsos, & eruditissimi viri, cum desperarent, posse dimovere ab hac credulitate vulgum signanter priscorum fidelium, & ipsi, quasi eandem opinionem adoptassent simulantes, credulitatem illorum in usum meliorem converterunt: Sic Sanctus Pionius, Sanctus Patritius, Sanctus Philippus Eracleensis Martires, ignem Vulcanorum *divinum*, *ac Dei Ministrum* dixere, *ipsumque cum inferni igne sociari* (1); non secus ac jampridem nonnulli Christiani responderunt Etnicis quibusdam, quærentibus ab ipsis, quo pacto tam vehemens, tantusque ignis a Vesuvio potuisset erumpi sub Tito Vespasiano, ut circumpositam regionem, cum Urbibus deleverit; responderunt inquam: *ex gehenna diabolo, & ejus Angelis, nec non peccatoribus, & impiis hominibus præparata, illum* (ignem) *scaturivisse, ad peccantium correctionem, & pœnitentiam* (2): His accedit Tertullianus, qui Vulcanos appellat: *Inferni quædam fumariola* (3), quibus expressionibus, dicendum est, usos fuisse Viros istos, morum sanctitate, & doctrina fulcentes, ut a visilibus Vulcanorum effectibus, invisibilem gehennam, ejusque cruciatus melius credentes intelligerent, juxta illud Apostoli: *Invisibilia Dei, per ea, quæ facta sunt, intellecta perspiciuntur* (4): ideoque ad intensiorem Infernalis ignis vim indicandam, Tertullianus Vulcanorum ignes dixit *Inferni fumariola*; nec aliter Vir Clarisimus ibi debet intelligi; alioquin de tot Vulcanis extinctis, vel debuisset judicare, portas Inferni ibi clausas, aut quam aliam causam excogitare potuisset, non invenio.

§. III. Scio Theologos non vulgares, ut Eminentissimus Baronius animadvertit, vere asseruisse, Etnam, Vesuvium, Vulcanos notissimos, ora Inferni esse, at idem Baronius

(1) *Vide Vetran. In Prodrom. Vesuv. Cap.* 4.

(2) *In Codic. Græco Vatican. Bibliotec.* 790. *fol.* 98.

(3) *Tertullian. de Pænit.*

(4) *Ad Rom.* 1. *Cap.* 20.

nius ipsis non assentitur, subnectens, Vulcanos in Orbe Terrarum tales esse, ut pro aliquali similitudine possint Inferorum igni comparari: *ad peccantium scilicet correctionem, & pœnitentiam*, ut prisci supra relati Christiani Etnicis inquirentibus responderunt.

§. IV. Quibus adderem, quod Ecclesiæ Patres, ut possent paulatim ad Fidem conversos a Patriis superstitionibus deterrere, nonnulla, quæ Fidem Catholicam non aversabantur, blandiori explicatione adhibita, tolerantes, sustinuere. Sic divus Augustinus in Libro de Civitate Dei ostendit, omnia regi divina gubernatione, & voluntate; *quam si quis Fatum dixerit*, ait, *non erraverit*: melius enim duxit Sanctus Doctor Ecclesiæ, de rei substantia Christianos instituere, quam super Vocabulo inanem quæstionem movere: ubi vero Doctor idem Egregius depræhendit, quod suis adhuc temporibus, nonnulli Christiani nefandis superstitionibus, demones venerabantur, illos & reprehendit acriter, & ad resipiscendum instruit: *Putant pravi homines*; ajebat D. Augustinus; *quod hoc demones præstant, quos adorant:... timendum est, ne irati noceant, nisi Ille* (Deus) *permittit: Ipsi habent semper voluntatem nocendi; nec si rogentur demones desinunt nocere velle, hoc enim malevolentiæ illorum proprium est: Ergo quid facies, eos colendo, nisi ut Illum offendas, Quo offenso, in illorum potestatem daberis: & qui nihil tibi possunt facere, Illo placato, faciunt quidquid volunt, Illo irato* (1): Satius igitur fuit SS. Ecclesiæ Patribus, suadere Christianis, haud dandas esse superstitiosas Manibus inferias, Infernum adesse ipsos edocere, & in Fide confirmare; parum facientes disquirere, Vulcani cum Inferno communicent, nec ne; quod sane difficillimum erat; nihil enim tam antiquius Majores nostri in sua Relligione habuere, quam suos quemque habere Manes, cultumque ipsis debere in Locis præsertim, ubi cum Inferis comunionem esse falso cre-

(1) *D. August. Sup. Psalm 126.*

credebant, quales erant Vulcani, sive Loca omnia sulphurea pestiferas exalationes evomentia, quod ex Homero colligitur (1); quem imitatus Virgilius, de Lacu Averno cantabat

Unum oro, quando hic Inferni janua Regis
Dicitur . . . . (2)

et de Ætna

Adceleremus, ait, Cyclopum educta caminis
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas (3)

et in Lacu nostro Eriminym conditam ajebat

. . . . . *queis condita Eriminys* . . . . (4);

Quæ perniciosa, & anilis credulitas eo usque processit, ut etiam a Diis loca hujusmodi venerata somniarent; Hos enim *per Paludem Stygiam* jurare consuevisse inepte crediderunt (5).

§. V. Mephitim igitur Deum, sive Deam Infernalem malam, Majores nostri crediderunt, non alia certe de caussa, id sibi suadentes, nisi quia suis exalationibus animantes necabat; ipsamque crediderunt Junonem fuisse, *quam aërem esse constat*, Servius ait (6): Et ad rem facit Priscianus; scribit enim: *Itaque constitutum est Numen, quod averteret nocuos alitus*; (7) Idem auctor vocem Mephitis, credit ductam ex Græca voce μεσιτη; at Scaliger relatus a Ludovico Cerda, ipsam credit vocem Etruscam, a Syris acceptam, quæ significat gravitatem, aut exalationem, sive flatum spiritus (8); cui adsentiendum censeo: Juno enim recte exprimitur per flatum spiritus, sive aërem; *Aër, ut Stoici disputant, inter-*

(1) *Homer. Odiss. Lib.* 10., *&* 11.
(2) *Virgil. Æneid. Lib. 6. Vers.* 106.
(3) *Idem. iaid. Vers.* 220.
(4) *Idem Lib. Æneid.* 7. *Vers.* 570.
(5) *Ovid. Metamor. Lib.* 2.
(6) *Serv. super Æneid. Lib.* 7.
(7) *Prisc. in Verb. Mephitis*
(8) *Ludov. Cerda sup. Virgil. Æneid.* 7.

interjectus inter mare, & cælum; ait Cicero; *Junonis nomine consecratur, quæ est Soror, & Conjux Jovis* (1). Porro Juno Vulcani Mater fingebatur, ideoque Charoneis istis præsidere, atque Montibus ignivomis credebatur: Hinc Junonem ajentem legimus;

Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo (2)

quo sensu crederem, Junonem dictam Stygiam, atque ideo cum forcipe, Vulcani notissimo simbulo, dextra tenentem depictam (3). Et ex hoc evincitur, cur in Lapide Beneventano, relato ab Illustrissimo de Vita, Juno *Veridica* dicatur (4). Scimus enim in Lacu Averno Oraculum Mortuorum veneratum fuisse; sicut & in Lacu nostro Mephitico, ut mox dicemus: ac proinde cum Mephitis, Aëris gravitas, idem sonent, ac Juno, idcirco ex Oraculis in Locis istiusmodi susceptis, fuit *Juno*, & *Stygia*, & *Veridica* salutata.

§. VI. At utcunque se res ista habeat, certum est in honorem Mephitis, fuisse ab Etnicis Templa excitata: Sic & Mephitis prope Lacum, de quo loquimur ædes habuit sacras: *In Hirpinis Anxanti ad Mephitis Ædem* (scribit Plinius) *Locum, quem qui intravere moriuntur* (5). In Lacu Averno *Ædes divinas* fuisse memoratur Strabo (6); In Timpria, Cariæ Vico, *Caronium Specu Sacrum*, pestiferas exalationes emittens, Idem meminit (7); In Acarara Vico, inter Nixam, & Tralles, Junonis, & Plutonis *Delubrum*, necnon & *Antrum Caronium, natura sua admirabile*, ab eodem Strabone didicimus (8); ut cætera prætermittam. Sed quoniam Mephitim, seu Junonem aëri infecto præsidere, ut diximus,

 cre-

(1) *Cic. de Nat. Deor. Lib.* 2.
(2) *Virgil. Æneid.* 7. *V.* 312.
(3) *Simulacr. de' Dei*.
(4) *De Vita Antiquitat. Benev. p.* 64.
(5) *Plin. Hist. Nat. Lib.* 2. *Cap.* 93.
(6) *Stab. Lib.* 5.
(7) *Strab. Lib.* 14.
(8) *Idem Lib. eod.* 14.

credebant Majores; Florentissimæ Orbis Terrarum Civitates, ad aërem noxium averrucandum, fetenti huic, ridiculoque Numini, Templa, Sacerdotesque dedicarunt: Sic Cremona, Vespasiani temporibus, incensa: *Cum omnia Sacra, Profanaque in igne consedissent, solum Mephitis Templum stetit ante mœnia, Loco, seu Numine defensum:* ut Tacitus scribit (1).

§. VII. Jam diximus in Lacu Averno Majores nostros Ædes sacras venerasse, auctore inter cæteros Strabone, qui ibi Oracula Homerica, sive Mortuorum testatur excepta, at fraude Sacerdotum a Rege quodam detecta, sive, ut idem Strabo loquitur, cum illi nequaquam successisset Oraculi fides, *Cimerios deletos*; sic enim appellabantur homines habitantes ibi, in subterraneis cavernis; & *Ædem ipsam divinam in alium translatam locum permanere* (2). At quoniam Regis istius nomen reticetur, nec Locus, ubi Ædes illa divina fuerit translata designatur; hic opinando dicerem, subterraneis accensionibus Ædificia deleta, Cimeriosque, ibi habitantes in subterraneis, & inter se communicantes oppressos, ut Ephorus a Strobone relatus ait (3); quæ omnia in Rege eos opprimente crederem designata; Oraculum Mortuorum translatum in Ædes Mephitis Anxanti; sive tunc temporis Lacum Anxanti exurgisse, cum in Lacu Averno Ædes ejus Sacræ ruinas passæ fuerunt, quæ quidem accidere debuerunt plerosque ante Urbis conditæ annos, jam enim Trojanos adversata Juno, Furias infernales in illorum ruinam excitaverat, ut Homerus (4), & hunc sequutus Virgilius fabulantur (5); & in Lacu nostro Mephitico Erimnym conditam idem Virgilius subjungit (6): Por-

(1) *Tacit. Histor. Lib. 3. Cap. 33.*
(2) *Strab. Lib. 6.*
(3) *Idem Lib. eod.*
(4) *Homer. Iliad. φ &c.*
(5) *Virgil. Æneid. 7. Vers. 312.*
(6) *Idem Æneid. 7. Vers. 570.*

Porro idem conjici potest ex eodem Poæta describente, Regem Latinum oracula in Lacu nostro Mephitico experentem --

At Rex sollicitus monstris, oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucosque sub alta
Consulit albuneæ, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævumque exalat opaca Mephitim (1).

Scio Cl. P. La Rue, de Silva Albunea credidisse Poëtam fuisse loquutum, quæ Tiburim prope est, ubi Lacus excurrit aquarum sulphurearum, ad Anienem confluentium, quique vulgo dicitur *La Solfataja* : item Lactantius subdit, Silvam istam dictam Albuneam, ab Albunea Sibilla Tiburtina : Super altura Montis Tiburis ostendunt alii Silvam istam fuisse (2); quam Horatius etiam memoratur

Nec me Larissæ perculsit campus Opimæ
Quam domus Albuneæ resonantis
Et preceps Anio, & Tiburis Lucus, & udæ
Mobilibus pomaria rivis (3):

At Lacum nostrum Mephiticum in supra relatis versibus a Virgilio designatum contenderem : Jam enim exploratum est, vocabula *Albuneam*; *Leucoteam*; *Mephitim*; *Junonem*, indiscriminatim fuisse usurpata, ad indicandum Deum, sive Deam aëri præsidentem, quod Servius testatur; quo pacto Lacum nostrum Albuneam dictum quoque, Mephitim, Junonem, & Leucoteam fateri posse, quis dubitabit? Porro si Topographiam perpendamus, de Lacu nostro Poëtam scripsisse, statuendum est : Ait enim, quod *Albunea sonat maximo Nemorum sacro fonte*: At supra monuimus, quod Lacus noster nemoribus cingitur; juges edit fragores; sævamque exalat Mephi-

(1) *Idem Æneid. 7. V. 81.*
(2) *Vid. Ambrog. Sup. Virgil. Æneid. 7.*
(3) *Horat. Lib. 1. Od. 7.*
(4) *Serv. super Æneid. Lib. 7.*

phitim, infestam hominibus ad necem usque, necatque suis alitibus volucres continuo, quod & in Lacu Averno aliquando accidisse, *indigenarum rumor erat*, ait Strabo (1).

Subdit inde Poëta, quod Locus, de quo scribebat frequentabatur ab Italis, & ab Oenotriis,

Hinc Italæ gentes, omnisque Oenotria Tellus
In dubiis responsa petit. . . . . (2)

& inferius ait, quod fama orta super Fauni responso, ferebatur per Urbes Ausonias:

Hæc responsa Patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non Ipse suo premit ore Latinus;
Sed circum late volitans jam fama per Urbes
Ausonias tulerat (3):

Ex quibus verbis conjicerem, Oraculum fuisse datum in Ausonia, circa cujus Urbes fama volitans percrescebat: Scimus enim, hanc florentissimam Europæ partem, quam nunc Italiam dicimus, varios fines, variasque denominationes, pro temporum, & Incolentium variate, sortitam fuisse (4). At hic antiquam Italiam Poëta memorans, Illam secernit ab antiquis *Oenotria*, & *Ausonia*: Quippe sub nomine gentium Italarum: *Italæ gentes*: Latinos, & Etruscos populos designavit, quos antiqua Italia complectebatur (5); sub nomine Oenotriorum: *Omnisque Oenotria tellus:* designavit Populos habitantes a fretu Siculo, usque ad Sinum Tarentinum & Possidoniatem (6); Et sub nomine Ausonum: *Per Urbes Ausonias*: gentem Hirpinam, sive Samniticam indicavit, qui antiquitus Medii, inter Italos, & Oenotrios, incoluerunt eam

(1) *Strab. Lib.* 5.
(2) *Æneid.* 7. *Vers.* 85. *&c.*
(3) *Idem ibid.*
(4) *Vid. Ptolom. Lib.* 7.: *Strab.*: *Alicarn. Leandr. Albert. &c.*
(5) *Strab. L. v.*
(6) *Strnb. L.* 5.

eam regionem , quam dicimus Campaniam , montesque ei conterminos (1). Ut igitur Oraculum æque posset a gentibus sic designatis frequentari in dubiis, debuit certe venerari in loco, qui commodus omnibus esset, & quidem nullus alius Lacu nostro commodior, utpote qui in medio populorum istorum erat, ut idem Poëta inferius cecinit --

Est Locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris
Anxanti valles . . . . (2)

Nec alia de caussa *Nobilem*, *& multis in oris memoratum* crederem, nisi ob Oracula, quæ ibi dabantur: Huc igitur, fabulatur Virgilius, venisse Regem Latinum, expetente oracula Fauni Genitoris; cujus responsum, etsi Ipse reticuerit, (sic exponerem Virgilium edicentem *non ipse premit suo ore Latinus*; quasi nullum de accepto responso Ipse, suo ore expresserit, licet hæc alii aliter explicent (3)) fama tamen dati responsi, circum adjacentes Urbes Ausonias volitans ferebatur, nempe per Urbes Samniticas: Cur autem Samnites dicerentur Auxones, sive Ausones, multi multa dicunt; quibus Ego adderem ita dictos ab Audacia, juxta illud Horatii: *Audax Japeti genus omnia perpeti* (4): & vere Audaces fuerunt Samnites, ut ea, quæ de ipsis extant Historiarum fragmenta testantur.

§. VIII. Sed quod ad rem, de qua loquimur facit, non spernendum crederem, id quoque conjici posse ex nummis æreis, & argenteis, qui continuo effodiuntur, signanter in alveo Torrentis, quem diximus juxta Lacum Mephiticum, tortum excurrere; Frequentiores quidem sunt Nummi ærei Romani, cum solito Jani bicipitis tipo, in parte una; & in altera, Navis pars dimidia: nec desunt quadran-

(1) *Idem Strab. ibid.*
(2) *Æneid. Lib. 7. Vers.*
(3) *Ambrog. super Æneid 7.*
(4) *Horat. Lib. 1. Od. 3.*

drantes æneí, & trientes, quin imo & æs librale in meo Museulo habeo, in loco eodem repertum; de quorum nummorum varietate, & præstantia tam erudite nuper scripsit Eminentissimus Zelada (1), quem consule: præterea antiquarum Italicarum Urbium nummos non paucos ex locis istis adeptus sum Ego: nempe Cumæ, Nolæ, Neapolis, Tarenti, Turii, Veliæ, Cauloniæ, Teani Appuli, Telesiæ, Locrorum, aliarumque Italicarum Urbium; ibique frequentiores sunt Nummuli argentei, quorum centum & ultra habeo in meo Museulo: Caput unius ex Furiis portendunt omnes, in parte una, & Leonem sinistrorsum fugientem in parte altera: nonnulli exibent Leenam, bucca aperta fugientem, sub cujus pedibus serpentem, pari modo fugientem, absque ulla inscriptione; inter quos, in uno exibetur Leo sinistrorsum fugiens, inversus respiciens Vulcani pileum, insculptum in superiori parte nummi; quos incidi curavimus in Tab. IV. N. XX., & XXI. Hos crederem nummos peculares Loci, quos Sacerdotes excipiebant, atque offerebant Charonti, pro Manium inferiis; quos Græci dicebant Δαναχης, sive *quadrantes* (2); licet melius nummulos istos, *sestertiis* æquipararem. Hos igitur peculiares Loci fuisse crederem ex simbulis, quæ portendunt: nam in capite Furiæ designatur Lacus Mephiticus, qui Inferorum porta credebatur, & Furiarum domicilium: In Leone, & Serpente fugientibus, effectus Loci naturalis indigitatur, qui suis alitibus animantes enecat, ut diximus; quin imo ex Leone fugiente, qui inversus respicit Vulcani pileum, ut Tab. IV. N. XX., dijudicarem aliquando ignitas lavas, Lacum Mephiticum eructasse, ut supra notavimus; ac proinde Ipsum Leo, & Serpens aufugiunt: Nec indifferenter crederem Furiam signatam in nummo, interfectis labiis, ut præfertur; sed Me-

(1) *Eminentiss. Card. Zelada Ad Eminentiss. Cardinal. Archinto.*
(2) *Virgil. Æneid. 6. Vers. 298. Juvenal. Lib. 3. Vers. 267.*

Mephiticam ipſam Voraginem, in medio tot Mineralium concretionum exurgentem, indicatam autumarem. At ſi tempus, & otium habuero, de Muſeuli mei nummis, aliqua ſcribere mecum ſtatui; & Deo dante perficiam.

§. IX. Certum igitur eſt, inter Deos malos, ſive Infernales, Mephitim, Leucoteam, ſive Junonem adnumeratam fuiſſe; utpote quæ credebatur aëri infecto præſidere: Quo autem ritu colebatur; Servius ait, quod in Lacu noſtro *victimæ non mactabantur, ſed ad Lacum applicatæ ſuffocabantur, & hoc erat genus litationis* (1): At Ego crederem, quod pro diverſitate votorum, diverſis ritibus utebantur. Illud tamen certum eſt, quod in Locis iſtiuſmodi noctu ſacra fiebant, qui quidem ritus ſervabatur in ſacrificiis Plutonis, Furiarum, ſive etiam earum Matris Noctis: Sic Uliſſes Cumæ ſacrificaturus, dum ibi apud Cimerios adhuc ſtabat Oraculum, ait Homerus,

Δύσετο τ' ἥελιος, σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιάς

Occidit autem ſol, obſcuranturque omnes vici (2):

& Æneas in Loco eodem facturus ſacra, ſcribit Virgilius;

Tum Stigio Regi nocturnas incoat aras (3):

& reſponſum Latino Regi datum nocturno tempore;

Hæc reſponſa Patris Fauni, monituſque ſilenti
Nocte datos . . . . (4).

§. X. At Victimæ ibi etiam mactabantur, ſuperſtitioſis certis adhibitis ceremoniis. Excavabatur a Sacrificante foſſa cubitalis in girum, ſive ἔνθα καὶ ἔνθα, inde, & inde, ait Homerus (5): circa eam fundebantur libamina, primo mulſum, ſecundo vinum, & tertio aqua; dehinc miſcebatur mola alba, adhibitiſque cum votis, certis precibus, oves nigræ mactabantur juxta foſſam, ut ſanguis

M eam

(1) *Serv. Æneid.* 7.
(2) *Homer. Odyſſ.* Λ. *Verſ.* 12.
(3) *Virg. Æneid. Lib.* 6. *Verſ.* 251.
(4) *Idem Æneid. Lib.* 7. *Verſ.* 102.
(5) *Homer. Iliad.* φ *Verſ.* 25.

eam intus flueret, quem animæ mortuorum libare credebantur; & tum demum deglubebantur, & Diis Infernalibus comburebantur, vota precantes, facientesque (1). His addit Virgilius & ritus alios, nempe quod constituebantur in loco Sacrificii, Juvenci nigra habentes terga, iis Sacerdos fronti immergebant vinum, & carpens, media inter cornua, summas setas, ignibus imponebat sacris, voce vocans Hecatem, sive Lunam hisce in Sacrificiis; nam Hecaten credebant, Lunam esse Cœlo, Dianam in Silvis, & Proserpinam in Inferno; alii adstantes supponebant cultros; (quique Cultrarii appellabantur (2)), & alii suscipiebant cruorem in pateris, alio nomine *damniis* nuncupatis, ut supra notavimus; Atri velleris agnæ cervix abscindebatur, quod Ulissem fecisse Homerus; & Æneam Virgilius testantur: Hæc quidem immolabatur Matri Eumenidum, sive Nocti; quam credebant Matrem Furiarum, & Terræ Sororem; & Vacca sterilis immolabatur Proserpinæ; Tum demum in honorem Plutonis, solida viscera Taurorum imponebant flammis, oleum infundentes ardentibus extis; ritus, quos noctu Æneam servasse Poëta fabulatur: His enim sic expletis, sequitur:

Ecce autem primi sub limina solis & Ortus,
Sub pedibus mugire solum . . . . (3)

§. XI. Matri igitur Furiarum Nocti, & Terræ ejus sorori, sive etiam Caroneis Terrarum scrobibus, per noctem, atri velleris oves immolabantur; quod & eruditus Ambroggi jam animadverterat -- *Dove vuole avvertirsi, che facendosi Sacrificii agli Dei infernali, tutto è fosco, e nero, e spira orrore* (4). Ideoque ritus eosdem in Lacu nostro Mephitico invaluisse dicendum est. Et licet usque adhuc nulla, quod sciam, ad Sacra pertinens inscriptio sit reperta; extat

(1) *Idem Odyss.* Λ. *Vers.* 14. *& seqq.*
(2) *Sueton. in Vit. Caligul. Cap.* 32.
(3) *Virgil. Æneid. Lib.* 6. *Vers.* 242., *& seqq.*
(4) *Ambrog. Æneid. Virg. Lib. eod. Not.* 3.

extat tamen prope Lacum, lapis quatratus, quatuor palmorum Neapolitanorum hinc inde lata, cui in medio circularis cavitas, hunc vulgo dicunt *la fonte*; at Ego crederem fossam fuisse artefactam sic, ut ab Homero describitur, excavatam ἔνθα ϗ ἔνθα, hoc est in girum (1), nam in girum explicarem, per illud ἔνθα, ϗ ἔνθα intellexisse Homerum: describens enim anguillas laborantes, spiritu ignis, inter vortices, ἔνθα, ϗ ἔνθα laborare scribebat (2); ubi perspicuum est, laborantes inter vortices, in girum agitari: In ipsa igitur reliquus victimarum cruor excipiebatur, quem postea suscipientes pateris, super adstantes, ad emundationem, aspergebant, quod in Taurobulio factum, ineptas has ceremonias describentes testantur (3). Duo simulacra ænea nuper juxta Lacum Mephiticum fuerunt reperta, quæ penes me asservantur: exæsa quidem sunt, & rudis fabricæ: ipsa crederem portendere duos Sacerdotes, & unum quidem *Popam*; veste enim brevi superius indutum est, succinctum ad brachia; eodem modo, quo Calligula a Suetonio describitur (4); a medietate corporis, limo angusto, ad pedes usque, quos nudos habet, cooperitur; sinulum succinctum portat, ubi literæ exæsæ conspiciuntur, prout in ejus Icone, Tabula I. videre est, & quam apposite incidi curavimus, tum ut *Popæ* vestes innotescerent, & tum etiam, ut in Mephitis Sacrificiis *Popam* interfuisse intelligatur: alterum, acidis sulphureis consumptum, nudum est, tantummodo habitu lato, veluti casula, usque ad corporis medietatem coopertum: sed utraque simulacra prædicta manibus elatis conspiciuntur, tamquam si quid Numini pestifero offerrent; quibus alludit Poëta:

. . . . *Huc dona Sacerdos,*
Cum tulit . . . . (5)

 Vota

(1) *Homer. Odyss.* Λ. *Vers.* 25.
(2) *Idem Iliad.* φ *Vers.* 354.
(3) *Illustriss. de Vita Antiquit. Benev. Dissert.* 2. *fol.* 87. *&* *seqq.*
(4) *Suet. in Vita Caligul.*
(5) *Virgil. Æneid.* 7. 86.

Vota igitur Diis Infernalibus dum in Locis iſtis fiebant, Victimæ non ſolum applicatæ ad Lacum ſuffocabantur, ſed mactabantur quoque, & ſignanter dum Oracula ſuſcipiebantur; pellibus enim mactatarum Ovium incumbebant, ut ſomnia exciperent, ſive reſponſa acciperent; quem inſanum ritum Regem Latinum ſequutum, idem Virgilius fabulatur:

Hic & tum Pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentis
Atque earum effultus tergo, ſtratiſque jacebat
Velleribus . . . . . . (1)

§. XII. Præterea quotannis, & certis ſtatutis diebus crederem ſolemnia celebrata in honorem Mephitis; & tunc ſervatum ritum ſuffocandi Victimam, ad Lacum applicatam, indicatum a Servio; eodem certe, parique more, quo in Acharaca factum, legimus: *Acharicis ſolemnia quotannis fiunt*, ait Strabo . . . . . *Tunc enim juvenes, & ephebi ex gymnaſio nudi, & uncti taurum quemdam feſtinanter in antrum ducunt: qui dimiſſus paulum progreditur, poſtea mortuus ad terram cadit* (2); quin imo autumarem in loca iſta ægros olim profectos, ad curas captandas, prout in prædicta Acharaca, ductu Sacerdotum fiebat; idque conjicerem ex Loco, immediate Lacui contermino, quem *Vicoli* vulgo dicunt, ut ſupra notavimus, & quem apposite in Mephitis Figura II. deſignare N. 9. curavimus: Idem enim Strabo ait: *Tradunt ægrotos, qui horum deorum curis vacant, eo* (nempe in Acharaca) *proficiſci, atque in VICO. SPECUI VICINO, apud Sacrorum peritos immorari* (3); dicerem igitur, hic quoque ægros, in *Viculis*, apud Sacrorum peritos, immoraſse; quod cæteroquin conjici quoque poteſt, ex frequentia virorum, & mulierum, quotannis venientium ad Villæmaniæ balneos,

(1) *Virg. Æneid. Lib. 7. Verſ. 92. &c.*
(2) *Strab. Lib. 14.*
(3) *Idem Ibid.*

neos, qui ex Lacus Mephitici aquis, ut diximus, non procul componuntur; & quod hi, pro ſua quiſque affecta valetudine, a mineralibus aquis, & earum effectibus expetunt, illi a Diis Infernalibus, & ſuperſtitioſis Sacerdotum cantionibus exoptabant.

§. XIII. Quo autem anni tempore, vel etiam quo die in honorem Charoneæ iſtius, Sacra fierent, ſtatuere auderem, tempore æſtivo, & Menſe Julii percurrente: idque conjicerem ex eo quia, cum noctu ſacrificari debuiſset, id in hieme difficillimum erat in locis iſtis, ſat nive rigidis; ideoque tempore æſtivo ſacra facta dicerem; & Menſe Julii ſi dixerim; id quidem credidi, evinci, non nimis audacter poſse, ex Feſto, quod in Loco eodem quotannis celebratur, die nona, & decima Julii, in honorem ſeptem Fratrum Martirum, Divæ Felicitatis Filiorum, cui jam diximus Ædiculam dicatam in Loco venerari: Tunc temporis quippe, tamquam ad frequentiſſimum emporium, ex omni fere Regni parte, ibi confluit multitudo, immoraturque in Loco, juxta Sacras Ædes prædictas, per noctem integram, & ſub Jove frigido, a primis veſperis diei noni Menſis Julii, uſque ad Meridiem ſubſequentis diei decimi: Idcirco autumarem, quod Majores noſtri, in fide Catolica a Divo Felice, Presbytero tunc Nolano, modo inter Divos relato, & Patriæ meæ Patrono Inclito; ut conſtans traditio eſt; Mephitico inſano cultu abdicato, & forſan Templo ejus ſubverſo; in honorem ſeptem Fratrum Martirum, & Divæ Felicitatis, Matris Eorum, Ædes Sacras excitarunt; ibique, qui prius ad Mephitim fiebant Sacrilegi congreſſus, Sacros deinde in honorem Martirum fieri ſtatuerunt; Quem morem & priſcos Chriſtianos in aliis Mundi locis ſervaſſe, ſat nos Hiſtoriæ docent.

§. XIV. Diximus, auctore Plinio, ſupra relato, Ædes divinas Mephitim Anxanti habuiſſe; quod certum, & exploratum quidem eſt: ad Lacus enim meridiem, ejus ruinæ,

quæ

quæ prius erant in totum sepultæ, nunc in partem contemplantur: sedulo enim cum per loca inquisivissem, si quæ ædificiorum vestigia possent recognosci; lapidem quatratum, & in girum effossum, de quo diximus, perpendens; nec non & Locum descriptum a Plinio, juxta Mephitis ædes, ajente, *quem qui intravere moriuntur* (1); qui, ut notavimus, tortus, ut in Fig. II. N. 6. Torrentis est vortex, diciturque vulgo *Vado Mortale*; item & terram super vertice isto immediate adjacentem, inæqualiter dispositam, velut tot Monticulos efformantem, contemplatus; ipsam in partem effodiendam curavi: vereque, ut opinaveram, antiquorum parietum relliquiæ apparuerunt; quas Templi istius esse, mecum Viri eruditi, qui Lacum Mephiticum inviserunt, unanimiter statuerunt; inter quos Abbas Fortis, & Eques Klarche.

§. XV. Restat denique, ut de certo Vallium Anxati situ dicatur, de quibus Poëta cecinit,

Est Locus Italiæ in medio, sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in Oris,
Anxanti Valles (2):

& de quibus sermocinati sumus.

Jam diximus, quamplurimos, clarique nominis Scriptores Valles istas commemorasse: Nonnullorum auctoritates, prout res expostulabat, retulimus: Sed quoniam de Vallium situ non omnes conveniunt, quid super re ista sit statuendum, demonstrabimus.

Petrus Valeriani, Altus Manutius, Franciscus Floridus, Lodovicus a Cerda, Flavius Blondus, & Leander Alberti crediderunt, per Valles Anxanti, designatum a Poæta Lacum Velinum, in Sabinia (3), sed perperam; ut dicemus.

Do-

(1) *Plin. sup. relat.* §. 29.
(2) *Virgil. Æneid.* 7.
(3) *Fl. Blond. Verb. Velinus Amnis: Leand. Albert. pag. mihi* 100.: *Vid. Pratill. Via App. IV. Cap. IV. fol.* 460.

Donatus relatus a Servio de Vallibus a Poæta descriptis hæc habet : *Lucaniæ esse qui describitur Lacus , circa Fluvium qui dicitur Calor* (1).

Barthius Claudianum commentans : *Anxantus , Lucaniæ Lacus , cujus halitus volucres necat* (2) : idemque sentit Vibius Sequester (3).

Nuperrime tandem Rodolfinus Venuti dissertationem edidit, super situ Vallium Anxanti , quam insertam habemus in Tertia Parte Virgilii , tipis Romæ dati in A. 1765 , cum Versione Cl. Viri Patris Antonii Ambroggi Florentini : Contendit laudatus Venuti , Valles Anxanti , a Virgilio designatas, in Territorio Sabino esse, & proprie in Loco parum dissito a Terra , vulgo dicta *Poggio Catino* , quæ possidetur a Romana perillustri Familia Marchionum Olciatorum ; commemoraturque Locum ibi dictum *Valli Sante* , quem circum antiquorum ædificiorum ruinæ admirantur , & parum dissitus a Loco eodem ait, quod excurrit tortuosus Torrens, cujus aquæ , cum fragore non modico immittuntur in cavernam , ibi in duro Saxo naturaliter efformatam : Locum, subdit, mediterraneum esse, vel ideo *Nobilem* a Poæta dictum , ex antiquis scilicet ædificiis Urbis Casperiæ, quam ibi olim fuisse credit; *& fama Notum* , nempe ob cladem Romanorum , ibi a Gallis receptam ; quæ omnia , etsi erudite conscripta , atque excogitata ; nihil tamen habent comune cum nostris *Anxanti Vallibus*, a Poæta designatis.

§. XVI. At Servius hæc habet : *Hunc Locum Italiæ Umbilicum Cosmographi dicunt : Est autem in latere Campaniæ, & Apuliæ , ubi Hirpini sunt , & habet aquas sulphureas , ideo graviores , quia ambiuntur silvis : Ideo autem aditus ibi dicitur Inferorum , quod gravis odor juxta accedentes necat* (4). Et

(1) *Serv. Æneid. 7.*
(2) *Barth. in Claudian. de Rapt. Proserp. Lib. 2. Vers.* 348.
(3) *Vib. Seq. de Lac.*
(4) *Serv. sup. Æneid. Lib. 7.*

Et Cluerius: *Porro supra Taurasium, sub Fricento Oppido, est dirus Anxantus Lacus, Ciceroni, Plinio, & Claudiano memoratus; dicitur adcolis Mufiti* (1): quos sequuntur Leonardus de Capua (2); Canonicus Pratillus (3); laudatus Pater Ambroggi (4) & Facciolatus in Verbo Ansanctus, etsi dicat Frequentinas esse Valles, quæ in districtu Roccæ S. Felicis, Patriæ meæ, vere sunt, ut diximus: His igitur libenter adstipulamur, sequentibus ducti rationibus.

Cicero enim supra relatus, disertis verbis Anxantum fatetur esse in Hirpinis -- *Quid enim non videmus, quam diversa sunt Terrarum genera, ex quibus mortifera quædam pars est, ut & Anxanti in Hirpinis, & Plutonia in Asia, quæ vidimus*; (5) Et Anxanti Valles certe vidit Cicero, dum Brundusium ad Pompeum perrexit, ut supra diximus.

Et Plinius supra memoratus, ædes Mephitis Anxanti in Hirpinis designat -- *Item in Hirpinis Anxanti, ad Mephitis ædes* (6).

Ex Ciceronis igitur, & Plinii firmissimis auctoritatibus, *Valles Anxanti* in Hirpinis esse colligitur. Cur autem supra relati Auctores a Plinio, & Cicerone recesserint, nullam aliam invenio caussam, nisi quod Poæta, in medio Italiæ, Loca ista descripserit: Adducunt enim Varronis auctoritatem, medium Italiæ statuentis in Lacu Velino -- *In eo autem Lacu* (ait Blondus) *Italiæ umbilicum esse, Marcum Varronem scripsisse refert Plinius*, (7) idenque sentit Leander Alberti, auctoritatem Blondi transcri-

(1) *Cluer. Ital. Antiq. Lib. 4.*
(2) *Leonard. de Cap. de Mephit.*
(3) *Pratill. Via App. Lib. IV. Cap. IV.*
(4) *Ambrogg. in Æneid. Vigil. Lib. 7.*
(5) *Cic. de divinat. Lib. 1.*
(6) *Plin. Hist. Natur. Lib. 2. Cap. 63.*
(7) *Fl. Blond. in Umbria Verbo Velinus Amnis.*

ſcribens (1) ; quos eodem ex argumento ſequuti ſunt & reliqui, ſed perperam.

Scribebat namque Virgilius de antiqua Italia, cujus fines extendebantur a Mari ſupero, uſque ad Mare inferum, ſive a Tirreno, ad Adriaticum, vel ut loquitur Roſacius, ſuper Ptolomæi Coſmographia, a *Neptuno ad Tarentum* (2); in quorum medio Hirpini venerant -- *Et hunc medium Italiæ Coſmographi dicunt*, ait Servius ſupra relatus; niſi velimus dicere cum Pratillo, tempore Auguſti Italiam ſtricte ſumptam, tales fines habuiſſe, ut Hirpini, ejus in medio eſſent (3).

Quod vero Donatus, Barthius, Silius Italicus, Mephitim Anxanti in Lucania eſſe dixerint, ut ſupra notavimus; id quidem edixerunt, confundentes Flumen, vulgo dictum *Calore*, quod in Lucania excurrit, cum flumine *Calore* Hirpinorum, ubi vere, ut ſupra diximus, poſt varios flexus, aquæ Mephiticæ deportantur (4).

§.XVII. Cur autem Valles iſtas Anxanti dixerint; Servius, ut ſupra notavimus, ait: *quaſi circum circiter Sanctas* (5): nempe Diis Infernalibus in girum ſacras; quod veroſimile quidem eſt; nam ſupra jam diximus, præter Lacum Mephiticum, in Vallibus iſtis, & per loca contermina, aggregata Sulphurea abundare; ideoque ſicut Lacus tamquam porta Inferi, ſic & reliquæ congeſtiones illæ Sulphureæ, ſpiracula Ditis ſævi ſancte, & relligioſe colebantur; niſi mavis legere *piracula* Ditis, ut Servius animadvertit, cum antiquis Codicibus Virgilianis; *quæ dicta ſunt* ἀπὸ τ̃ περάτων, hoc eſt *a finibus Inferorum* (6): at Ego crederem, lapides pyrites, ſive aggregata ipſa ſulphu-

 rea,

(1) *Leand. Albert. in Umbria Fol. M.* 100.

(2) *Joh. Roſac. Tab. 9. Europ. Pag.* 61.

(3) *Pratill. Lib. IV. Via App. Cap. IV. Vide Sigonium de Antiq. Jur. Ital.*

(4) *Vide ſupra* §.

(5) *Serv. Æneid.* 7.

(6) *Serv. ſupra Æneid.* 7.

rea, a Poæta indicatos, *piracula* ab Ipſo nuncupatos &c. Quibus hic opinando ſubnecterem, ideo dictas *Anxanti Valles* iſtas, ad effectum ſcilicet naturalem Locorum indicandum; nempe quia anxantes reddunt viventes, qui ibi incidunt, & ſuffocatos occidunt, ut ſupra notavimus (1). Quod ſi ætimologiam Servii melius approbes, ei adde, vel ideo circum circiter Sancta dicta loca iſta, nempe ob Sepulcrorum frequentiam, quæ ibi paſſim effodiuntur.

§. XVIII. *Valles* igitur *Anxanti*, & ipſarum *Lacus Mephiticus*, quem habes Fig. II. Num. 1., ſitæ ſunt in diſtrictu Roccæ S. Felicis, quam habes Fig. V.; Eas utrinque urget latus Nemoris, vulgo dicto *Migliano*; Fig. II. Num. 8.; & Nemoris laudatæ Roccæ, vulgo dicti *Le Macchie delle Mefiti*; Fig. II. Num. 7.; In Lacu miratu digna eſt rima exufflans, Fig. II. N. 2.; & nova Vorago; Fig. II. Num. 19.; Item prope Lacum ad occidentem, Locus vulgo dictus Caccabo; eadem Fig. N. 3.; & locus alter inter Orientem, & Meridiem vulgo dictus *Le Freſſole*. Figura eadem, Num. 4.; nec non & novæ immutationes ad præſens in Loco factæ; ut Fig. VI. N. 1. 2. & 3.: Tortus Torrens Lacum circum excurrit: Fig. II. Num. 5.; in cujus alveo Locus vorticoſus, dictus vulgo *Vado Mortale*: ead. Fig. II. Num. 6.; & Locus alter vulgo dictus *Vicoli*: Fig. II. Num. 9.; Nec parum diſſiti ſunt Balnei *Villæmaniæ* Fig. II., Num. 10.; Duæ ad Valles iſtas ducebant viæ; *Appia* ſcilicet; ead. Fig. II. N. 16.; & Via *Domitia*; eadem Fig. II., Num. 17.; Selenites in loco abundant, & gypſum ibi effoditur; Fig. ead. Num. 18.: In locis iſtis Deo, ſive Deæ Mephiti Sacræ fuerunt ædes, quarum veſtigia, per me effoſſa nunc contemplantur: Locus quidem nobilis, & fama multis in oris memoratus, ut dixi, ob Oracula mortuorum: Ejus Lacus, quem nunc Mephitim loci accolæ, ut ait Cluerius, appellant, fragoſum,

(1) *Vid. ſupra §. XX. Lib. 1.*

ſum, ex jugi ebullitione, dat ſonitum: & in girum tot Ditis ſævi piracula monſtrantur: Portæ Inferorum inepte olim crædıtæ, ubi Erimnym conditam perbelle, ut ſui moris eſt, Poæta cecinit, Æneidum Libro ſeptimo, non ſemel per nos in hoc, qualecunque ſit, opere repetito:

Eſt Locus Italiæ in medio, ſub Montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
ANXANTI. VALLES, denſis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus Nemoris, medioque fragoſus
Dat ſonitum Saxis, & torto vortice Torrens.
Hic Specus orrendum, & Sævi piracula Ditis
ıſtrantur, ruptoque ingens Archeronte Vorago
ſtiferas aperit fauces: queis condita Erimnys
_nviſum Numen, Cælum, Terramque levabat.

§. XIX. Quæ quidem omnia, ut potui, illuſtrando, & Patriæ decori, in ejus vetuſtate veneranda conſulere, & Amicis bonis ſatisfacere, ut præmiſi, in mente habui: Quod ſi benigne Qui legitis has meas lucubrationes excipiatis; eritis mihi magnus Apollo, & huc uſque enarrata pro munere reddam; Viro inclito Nicolao Capaſſo mecum vobis edicente;

Munere pro Magno tenuis datur hoſtias Divis:
Muneribus veſtris, ſint mea dicta ſatis:

ſin ſecus: caveat, rectus, & albus ſit, ſi qui forſan me loripidem, aut Etiopem dixerit, ne & ipſe a cæteris rideatur.



FIGURA. I.






Fig. II



1. *Lacus Mephiticus*
2. *Meatus Recipiens et exufflans*
3. *Caccabo*
4. *Fressole*
5. *Torrens*
6. *Vortex Tortus sive Vado Mortale*
7. *Nemus demaniale Roccæ*
8. *Nemus Frequenti*
9. *Vicoli*
10. *Balnei Villemaniæ*
11. *Flumen Fredene*
12. *Frequentum*
13. *Iesualdum*
14. *Taurella*
15. *Villamania*
16. *Via Appia*
17. *Via domitia*
18. *Gypsara*
19. *Nova Vorago*

Fig. III.



1. Mons Echius
2. Saxu vulgo La Pietra di Peluso
3. Fons aquæ Sulphureæ
4. Carbones Fossiles
5. Ruinæ ex Subterraneae accensione
6. S. Angel: Lombardor:
7. Guardia Lombardor:
8. Flumen sive Torrens Fredene
9. Viæ quæ jungebatur Appiæ




Fig. IV.



I.

AVG. L.
IENECRAT.

II.

AVG. L.
APNE CRATES

III.

C. FIONI. MX

IV.

L. BALB

V.

XOY

VI.

XOY

VII

CN. AE
EROS

VIII.



IX

SOCR
ATES

X.

MV
MARC

XI.

Q. OFIL
EPAPR

XII.

Q. FLORI
CHRESIMI

XIII.

VIT.BLA

XIV.

M.C.P.R.

XV.

CN. TIGI
QVIETI

XVI.

VALER
AVIAIA


XX.



XVII.

M. SICILV
C. CICERR

XVIII



XXI.



XIX.

I.N.DEO.


Filip. de Grado incise



Fig. V.



I. Rocca S. Felicis
II. Castrum antiquum



FIGVRA. VI



1. Nova Rima exufflans 2. Nova Aggregata Nigerrima 3. Nova Ebullitio aquarum



